COLAI
PERA.
MUS V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Liber
Novo Tacin
937/IV

Henrici Nicolai

1. Theologiae Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung der Schrifft im Predigen Salomo IV.4.
12. Tractatus de Pane, Editio emenda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pane.
(14. Georgii Rheti Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
15. Protestatio defensa.
16. Oratio de Philosophiae Studio cum Theologia conjungendo, praemisso Programmate.
17. Cursus Philosophicus.
18. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
19. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
20. Ex. de Astrologiae Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
21. Tr. de Modis praedicandi.
22. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
23. Rotgeri zum Bergen Res Sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
24. Godofr. Zameli Hymenaei Tumulus.

2.b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.

D. O. M. A.

THEOLOGIÆ EPITOME.

Methodicè repræsentata, habitum Theologiæ in partibus suis, Credendis & Agendis, distinctè completeq; delineans, & ad Calcem Theologiæ Historicæ per historiam Ecclesiasticam Syllogen, ab omnibus in habitu Theologiæ hactenùs omissam, breviter subministrans.

AUTHORE
HENRICO NICOLAI
Theol. & Phil. Professore.

ELBINGÆ.
Literis CORELLIANIS.
Anno à partu Virginis Matris,
M. DC. LIII.

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, & EXCELLENTISSIMO,

DN. ANDREÆ KNOEFFELIO, Medicinæ Doctori, & Sereniss. Polonorũ ac Svecorũ Regis Archiatro Celeberrimo, Dn. Fautori & Amico singulariter colendo, S. Et omnigenam prosperitatem.

PYthagoreum quendam, *Vir Amplissime*, *Stoæ Princeps* memorat à Sutore phæcasia non præsentibus nummis comparavisse. Illo autem interea elato combustoq;, reddendi, quod debuit, facultas defuit. Pretium itaq; domum referens, proprio mentis judicio pulsatus, ad tabernam reversus est, &, Ille tibi vivit, redde, quod debes, protulit. Ac per clostrum, quà se commissura laxârat, pretium in tabernam inseruit, pœnas à se improbæ cupiditatis desumens. Nobis, à Christo nomen sortitis, dum fini suo annus Ecclesiasticus admovetur, subindè mens Christiana pulsum incutiat, ne infinita Dei benefacta ad impios ingratitudinis calculos expuremus: Sed, Deus quotidiè nobis vivit, redde, quod debes, inclamet. Honorem, preces, officia, Deo deberi, omnes profitemur. Pensare nequimus: Agnoscere & prædicare, facultas relicta est. A nobis ipsis pœnas ingrati animi exposcamus. *Reddere* debemus, quia repetit; *Prædicare*, ut & alii Patrem nostrũ in cœlis glorificent. Quâ de re secundâ hujus Epitomes parte, quâ agenda Spiritualia in Deum proximũq; deducta, quædam repræsento. Quam opellam in Ampliss. Nominis tui, *Vir Celeberrime*, favorem comittere sustinui. Et Spiritualibus maximopere TE delectari scio: Et solidam illam Dei Veritatem ac Caritatem pretio suo verè æstimare ac sectari, Nostrisq; gymnasmatibus non parũ deferre, notum habeo. Suscipies præsente animo exiguum Opusculum, prodromum velut deductiori Operi antemissum, dum majori occasio constiterit. Feliciter interea in seros annos cum superstitib. ages, Deiq; solatio viduitatem, excessu Conjugis incussam, identidem explicabis. Is ut deprimere, sic & erigere suos in Christo solet, In cujus tutelâ commisso feliciter Universa evenire exopto. Elbingæ. 10. Cal. Decemb. Anno ad finem inclinante 1653.

N. A. T. *Observantiss.* HENR. NICOLAI.

LECTORI CHRISTIANO & Erudito S. Et pacem Christi.

SParsim hactenus *Theologica repræsentata*, *LECTOR* Erudite, *& per partes.* Non liquere, Medium religiosum, Spiritualia Conciliare, Miscella Theologica, Passionalia, Natalitia, Michaëlia, Ahasverus Estheræ, *& similia diducta. Nunc* Universa *in Sylloge exhibeo*, Theoretica, Practica, Historica. *Nulli adhuc, quod sciam, in Systemate Theologiæ distinctè observata, aut adducta. Sed libando, & in Synopsi delineo: Non plenâ tractatione. Servabitur diductiori Habitus Theol. repræsentationi, Ubi ad edendum Occasio felicior illuxerit. Sed hic* tria præ cœteris *præstare, conatus fuit.* Primò Ordinem *dare Habitui volui, non nudas materias aut Locos Communes aggerare. Quod è Lutheranis plerisq; tantùm præstitum*, Chemnitio, Chytreo, Huttero, Hunnio, Heerbrando, Gerhardo, Brochmando, Reneccio, aliis, *si* Calixtum *in Epitome Theol.* & Himmelium in Syntagm. Theol. *excipias, qui ad Methodum practicam delineare aggressi sunt. Nexas sequentesq; materias ostendi: Velut in habitu ordinatè repræsentato fieri amat. Quid nexus tradere debeat, qui se tradita excipere debeant, Credenda agendis antemitti, Agenda illis subjungi, fas sit.* E Reformatis *quosdam magis ad ordinem hærescere video*, Amesium, Wollebium, Trelcatium, Junium, L. Crocium, Alstedium, Keckermannum, Wendelinum, alios. *Sed fermè ad practicam Methodum delineant, & multa omittunt. Ego Composito habitui magis eam respondere crediderim, velut Philosophiam, Ut* Spiritualis instar Philosophiæ *sit, eoq; per Theoretica & Practica objecta commodiùs deducenda veniat, Ut in* Prægnitis Theologicis *uberiùs docebitur. Quem ordinem huc usq; placuisse, ex Commentatiunculâ præsente innotescet.* Deinde definitiones & divisiones *materiarum Spiritualium accuratiores*

curatiores inquirere & ostendere, pro intento fuit. Indè à communioribus sententiis quandoque recedere, peculiares sequi, necessitas fuit. Profecerimnè aliquid, prudentis Lectoris judicio commissum esto. Non in damnatorium calculum statim præcipitare aggredere, si quid novi appareat: Sed lustra, & judicio temporis spatium, Cujus filiam veritatem nuncupare solent, indulgeto. Si opere displicemus, saltem studio placeamus. Esto acceptum, voluisse: Si disciplic eat non potuisse nostrum. Deniq; Historiã Theologicam *Habitui pleno subjungere cura fuit, omnibus hactenùs in eo repræsentando omissam, nulli adductam. Necessaria tamen habitus pars ea, & cui suæ partes omninò dandæ. Hiulcus Theologus fuerit, qui ejus in totum rudis existat. Plurima enim* quæsita controversa, *quæ nonnisi ex eâ decisionem inveniant. Vt* de Papâ fœminâ, Constantini donatione, AntiChristi tempore, Pacificationis Passavicæ vigore ac licentiâ, fide Husso violatâ, Conciliorum gestis, Patrum vitis, hæreticorum Catalogis, Eusebio Ariano, Symbolo Apostolico, Athanasiano, Episcopatu Petri in Româ Vrbe, *& quæ infinita alia. In Academiis Professio Historiæ Ecclesiasticæ ordinariè esse non solet. Quod sæpiùs mecum ipse miratus sum. Questus de eo* Meyfartus in Libr. de reformandis Academiis: *Primusque Historiæ Ecclesiasticæ Professor in restitutâ Academiâ Erfurtinâ constitutus fertur. Non absurdum factu est, distinctè eam habitui Theologiæ adnexuisse, & materias ejus ordinatè exhibere. Synopsin hic habes, LECTOR, Quam hac vice boni consule. Aliâ in majus diffusam repræsentationem nanciscere, ubi occasio contulerit. His interea fruere, in Domino confortare, & in virtute roboris ejus quotidiè viriliter agito, precibusque nos apud DEum jugiter commendato. B. V. Elbingæ. 10. Calend. Decembr. Anno 1653.*

EPI-

EPITOME THEOLOGIÆ.

LIBER I.

De credendis Theologicis.

CAPUT I.

De naturâ & curâ habitus Theologiæ.

THESIS I.

THeologiam dari & ex naturâ distincti objecti, spiritualis scibilis, & *distincti considerandi modi, quatenus præcisè tale est*, ac *supernaturali gratiæ divinæ revelatione innotescit*, & *distincti finis, spiritualis animi humani in spirituali scibili perfectionis, patet: quæ ab ullâ aliâ disciplinâ exspectari non possunt, sed solâ Theologiâ.*

2. *Eadem* nec per Intelligentiam, *quæ primorum principiorum*, nec *Sapientiam, quæ illorum & conclusionum deductarum*, nec *Scientiam, Prudentiam, Artem, doctrinam, disciplinam, viam, aut aliam similem vocem ut per proprium, adæquatum, & accuratum genus definiri potest, sed commodissimè* habitus animi principalis θεόσδοτ☉, compositus, omne spirituale scibile adæquatè, distinctè, & accuratè ad perfectionem hominis spiritualem repræsentans, ac modum spiritualiter hominem perficiendi proponens *definietur. De quo latè* p. 1. Præcogn. Theol. *agetur.*

3. Objectum ejus adæquatum *nec DEUS, qui pars ad objectum adæquatum pertinens, nec divina revelatio, quæ principium objecti, nec Christus, nec articuli fidei, nec Ecclesia, nec Loci Theologici, nec religio Christiana est, quæ omnia partes sub objecto sunt, nec simile quid est, Nam inadæquata & non plenaria objecta hæc sunt:* Sed ipsum spirituale scibile totaliter & adæquatè sumptum, *& in generali, & speciali suo partìm ex Scripturâ, partìm ex Traditione & inde ductâ Historiâ Ecclesiasticâ perfectè distinctèq; repræsentatum. Inprimis tamen ex Scripturâ, ut adæquato dogmatum spiritualium principio, repræsentari debet.* V. C. 2 t. 1.

4. Principia ejus materialia *omnes materiæ spirituales sunt:* Formalia *distincta earum sub unum formale & considerandi modum reductio, ac sub eo adæquatè facta repræsentatio* Efficientia *in dogmaticis DEus & divina revelatio, In historicis Ecclesiæ etiam traditio, unde post Acta Apostolorum Acta Ecclesiæ in N. T. usq; ad hæc tempora deducenda*, V L. 2. C. 9. 10. Finalia *partìm DEI gloria, partìm adæquata & totalis hominis in spiritualibus perfectio sunt, ut tàm intellectu, quàm voluntate ille perficiatur, modumq; alium perficiendi accuratè assequatur.*

5. Dividi ex Objectis suis, *quæ proponit, in* theoreticam & practicam, *spirituali sensu ita dictam, potest.* Theoretica est pars prior, quæ Objecta credenda *& non â nobis agibilia proponit, ut DEus, Christus, Sp. S. Creatio, Conservatio, Prædestinatio, &c.* Practica pars posterior, quæ objecta agenda *& â nobis expedienda, fugienda, aut sustinenda, praxesq; spirituales proponit. Qualia religio, fides, spes, Caritas DEI & proximi, peccata, pœnæ, calamitates, Pœnitentia, Carnis mortificationes, &c.* Istæ praxes

vel

vel in Ideâ *ſpectantur & generaliter*, *ut in ſyſtemate Locorum Theologicorum*: Vel in exemplis *& ſpecialiter, unde Theol.* Exemplaris & Hiſtorica *oritur. Quæ â Scripturæ exemplis inchoanda, per univerſam hiſtoriam Eccleſiaſticam ab initio Mundi ad hæc usq; tempora, per millenarios, centenarios, & ſingulos annos, diſtinctè deducenda eſt, ac ab omnibus Theologis hactenùs in habitu Theologiæ non animadverſa, ſed omiſſa eſt, & Theol. habitus mutilè repræſentatus eſt.*

6. Cura ejus in modo docendi & diſcendi eam *conſiſtit.* Eſtq; in impedimentorum remotione, *qualia ſtupor, vanitas, confuſio, & inaccuratio*, Et requiſitorum poſitione, *Qualia Natura, Cura, Oratio, Lectio, Meditatio, Tentatio, Exercitatio, ſunt.* Lectio *partìm eſt Biblica, eaq; vel* accurata *& cum Commentarijs textuq; originali, Hebræo & Græco*, vel exoterica *& ſine illis, & in verſionibus*; Partìm hiſtorica, *ut hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, vel compendioſæ, ut* Bohemi, Cluveri, Micrelij, Oſiandri, *vel diffuſæ, ut* Magdeburgenſium, Baronij, Gaulterij, Surii: Partìm Polemica, *ut Scriptorum Orthodoxorum & Adverſariorum, ut* Lutheranorum, Reformatorum, Papiſtarum, Photinianorum, Anabaptiſtarum, Arminianorum, Fanaticorum, *ſub quibus* Weigeliani, Svencfeldiſtæ, Paracelſiſtæ, Methiſtæ, Stiefeliſtæ, Heltiſtæ, Semijudaizantes *ſeu* Seideliſtæ, *De quib. in* Paſſionalib. t. *12. Et* Paſchal. t. 2. *dixi*, Müntzeriſtæ, Oſiandriſtæ, *&c.* Partìm Patrologica, *ut ex Græcis* Jgnatij, Jrenæi, Juſtini, Gregorij Naz. Chryſoſtomi, Baſilij, *Ex Latinis* Tertulliani, Auguſtini, Cypriani, Hieronymi, Ambroſij, *&c.* Exercitatio partìm eſt Locorum Comm: collectio, *vel ad alios annotatio, ut* Gerhardi, Brochmandi, Chemnitij,

tij, Vogelij, Reineccii, Alstedij, Hafenrefferi, Zegedini, Scharpij, Amesij, Wendelini, Polani, Sohnij, Lud. Crocij, Cotoni, Costeri, Becani, Volkelij; Partim Disputatio, *quæ accuratè, ordinatè, perspicuè, & modestè est scribenda & habenda*: Partim Concionatio, *ubi methodi concionandi consulendæ, Vt* Hunnij, Osiandri, Pancratij, Schleupneri, Junij, Hyperij, Lud. Crocij, Alstedij, Keckermanni, Stresonis, aliorumq;, *Et Scriptores Homiletici, qui in Evangelia & Epistolas scripserunt, Vt* Arndt, Saccus, Strignicius, Herbergerus, Mollerus, Nicander, Buscherus, Scultetus, Balduinus, Hunnius, Meisnerus, Gerhardus, Dietericus, &c. Partim Ecclesiastici *muneris administratio, ut ægrotorum visitatio, consolatio, Sacramentorum ministratio, Casuum Conscientiæ decisio, Vbi* Balduinus, Amesius, Alstedius, Duntius, Perkinsus, Dedekennus, Navarrus, Toletus, Bidembachius, alijq; *consulendi. Plurib. hæc ex Scriptorib. Methodi Theologicæ, quales* Gerhardus, Erasmus, Sohnius, Hyperius, Diest, Meisnerus, Voëtius, alijq;, *sumendæ, & ex nostris* Præcognitis Theolog. f. 2. *aliquando patebunt.*

CAPUT II.

De Principio Theologiæ, Scripturâ.

PRincipium Theologiæ dogmaticum, *unde dogmata Theologica sumenda, Scriptura vel revelatio divina Scripturâ hodiè comprehensa est. Olim in V. T. etiam viva traditio fuit. Sed hodiè desiit traditio, & successit Scriptio, t. 5.* Historicum *præter Scripturam* & traditio

ditio Ecclesiastica est, *non enim totam historiam Ecclesiasticam ex solâ Scripturâ deducere possumus. Illa autem ad habitum Theologiæ plenum etiam pertinet*, L.2. C.9.10.

2. Scriptura est Revelatio Divina, immediatè à DEO Prophetis, Apostolis, & Evangelistis per Sp. Dei inspirata, 2. Pet. *1*. v. *21*. Jussuq; ejus literis consignata, Exod. 34. v. 27. Deut. 3. v. 24. Ose. 8. v. *12*. 2. Pet 1. v. *21*. *De spiritualibus materiis, quæ Deus nos scire voluit, perfectè nos informans, ac ad salutem plenè in omni spirituali doctrinæ genere nos erudiens*. 2. Tim. 3. v. *15*. seq. 2. Petri 1. v. 19. *Et si divinitùs inspirata Scriptura est*, 2. Tim. 3. *Etiam scribendi actum internè à DEo jussum esse oportet.*

3. *In eâ* authoritas, officium, attributa, ac divisio *spectanda*. Authoritas est, *quâ in seipsâ & ex materiis, quas proponit, & ab authore, â quo prodit, infallibilis, & irrefragabilis apud Christianos est*, suamq; Authoritatem à DEo ipso, *Cujus Verbum, & â quo inspirata est, non ullo homine aut Creaturâ habet, etsi explicationem, attestationem, confirmationem, aut ostensionem ejus ab Ecclesiâ habere possit. Innotescere nobis divina Scripturæ authoritas ab Ecclesiâ Christianâ ejusq; attestatione & ostensione potest: Esse & dependere non nisi â solo DEO potest. Unde habet Scriptura, ut divinum verbum sit: Inde & habet, ut summæ ac immotæ Authoritatis apud Christianos sit, apud omnes homines esse debeat. Divinum autem esse â solo* DEO *habet, quia* à DEO, pro DEO, cum DEO, de DEO *loquitur, & ad DEUM ducit.*

4. Officium ejus est, quo norma ac regula credendi & agendi perfecta *ac accurata Christianis esse debet, ex quâ & de Dogmatibus fidei judicare, & ad quam vitam*

adæquatè conformare debent. Esa. 8. v. 20. Gal. 6. v. 16. Phil. 3. v. 16. 2. Pet. 1. v. 19. *Et sic tanquam norma Iudicij ad judicandum assumpta, secundùm quam Iudex judicare debet, etiam Iudex controversiarum dici potest.* Joh. 12. v. 48. DEus & DEI Spiritus *in Scripturis loquens summus ac independens spiritualium materiarum Iudex est:* Scriptura *normalis, Directivus, & Canonicus, tanquam* DEI *vox & epistola ad mortales exarata:* Ecclesia, *Doctores, Ministri, Viri docti, quandoq; & Laici periti, Interpretativi & ministeriales Iudices esse possunt.* DEUS *magisterialiter,* Scriptura *normaliter, &* Doctores *Ecclesiæ ministerialiter de fidei rebus judicant. Et in hoc* Papistæ *quidam consentiunt, ut* libris de Fide Christianâ *docebo.*

5. Attributa ejus sunt incorrupta fontium puritas, *Perfectio, Perspicuitas, Interpretatio, Versio, ac operandi vis & efficacia.* Puritas *est, quâ fontes Hebræi V. & Græci N. T. incorrupti ad nos delati sunt, nullam universalem corruptionem â Iudæis, qui religiosè eam observârunt, Nec si corrupissent, Christus aut Apostoli id siluissent, aut Christianis, qui id agere non potuerunt, passi sunt, Etsi* particularis *quædam locorum varietas in quibusdam Codicibus, & secundariis locis de principali fidei capite non agentibus, occurrat.* Perfectio est, *quâ in dogmatibus & praxibus spiritualibus Christianis ad spiritualem perfectionem & salutem pertinentibus hodiè sub N. T. ut toto Canone jam comprehensa est, satis plena est, ut perfectè ad salutem nos instruere possit,* 2. Tim. 3. Vide t. 2. *Etsi ratione numeri librorum quandoq; deficiat, & libri quidam interdùm ex eâ perierint,* Num. 21. v. 14. Jos. 10. v. 13. 1. Chron. 29. v. 29. 2. Chron. 9. v. 29. C. 12. v. 15. *Qui ad* Codicem *Biblicum, non* Canonem, *pertinere*

vere potuerunt, qui in servatis libris semper plenus permansit. Et sub V. T. quædam fortè ei deesse potuerint, Vt de medio salutis pro mulierib. Vbi immediata DEi viguit revelatio, quà patefieri talia potuerunt, Quæ hodiè desiit, & ad solam Scripturam successit remissio, Esai. 8. V. t. 4. Nec ullâ traditione ad rem fidei constituendam præter Scripturam opus est, Etsi ad historiam, ritus, Ceremonias, ordinem, & similia ea opus esse possit.

6. Perspicuitas est, quà in rebus fundamentalibus fidei & morum ita clara est, ut â pio ac diligente lectore & scrutatore, non malitiosum obicem ponente, sed rationem & omnem altitudinem in obsequium Christi captivante, 2. Cor. 10. v. 5. sensus ejus sufficienter animadverti & hauriri possit, nec extraneâ aut ascititiâ luce indigeat. Psal 19 v. 9. Psal. 119. v. 105. 2. Pet. 1. v. 19. Etsi in multis sublimis esse queat, 2. Pet 3. v. 16. Et sic cœco nostro intellectui difficilis ac obscura evadat & appareat. Sic Sol lumen totum in se lucidissimum est: Cœcutientibus tamen, lippis, lusciosis, nycticoracibus, & similibus ob proprium eorum, non Solis defectum, non lucet, sed obscurus videtur. Interpretatio est, quà legitimus ejus sensus ex propriâ ejus evolutione, collatione, & dextrâ mediorum interpretandi adhibitione eruitur ac ostenditur, 2 Pet. 1. v. 20. Ordinariè in Ecclesiâ Christianâ ejusq; Doctoribus & ministris est, qui verum Scripturæ sensum eruunt, tenent, proponunt, exponunt, & defendunt. Non tamen absolutè illis alligatus est, nisi in quantum illi ad Scripturam alligantur, & alligari se patiuntur: Et extraordinariè etiam Laici alicujus esse potest, si donum interpretandi illi DEus conferre velit, 1. Cor. 12. v. 10. Mediante quidem ratione Interpretatio expedienda, non enim Scriptura brutis data,

sed hominibus, qui scrutari jussi, Joh. 5. v. 39. *Non tamen ad rationem, ut normam conformanda, sed ex Spiritus S. intentione & ipsâ Scripturæ explicatione deducenda est.*

7. Versio est, quà ex fontibus suis & originali lingvâ in quamcunq; aliam transferri potest, & ob usum Laicorum debet, *ut suis linguis illi Biblia legere ac conferre possint, quod & facere jubentur*, Deut. 6. v. 6. 7. 8. C. 31. v. 11. Exod. 13. v. 9. Colos. 3. v. 16. Joh. 5. v. 39. Jos. 1. v. 8. Syrac. 6. v. 37. *Et facientes commendantur*, Act. 17. v. 11. Sirac. 14. v. 22. Psal. 1. v. 2. 2. Pet. 1. v. 19. *Omittentes reprehenduntur*, 1. Sam. 3. v. 1. 19. 22. 1. Reg. 17. v. 13. seq: 2. Chron. 36. v. 16. Jerem. 25. v. 3. seq. C. 36. v. 29. seq. *Nulla autem versio authentica est, sed ad fontes revocanda, ac ex illis examinanda est.* Vulgata etiam versio *incompetens est, & vitia dogmatica, Chronologica, Historica, Philologica, continet, quod ex* Papistis *nonnulli fateri coguntur, ut* Morus, Reuchlinus, Vives, Erasmus, Driedo, *& de modo authentias ac Concilij Tridentini mente variè digladiantur.* V. Serarium in proleg. C. 19. q. 11. 12. Contzium Cor. Jubil. C. 10. prop. 12.

8. Operandi efficacia est, quà ex beneplacito DEI, 1. Cor. 1. v. 21. & signum objectivè potentiæ cognoscenti repræsentans, & medium subordinatè ac dependenter à DEO præbens, & instrumentum effectivè flectens ac movens est. *Unde potentia DEI ad salutem omni credenti*, Rom. 1. v. 16. *Et Spiritus ac vita vocatur*, Joh. 6. v. 63. 68. *Et validis vocibus, phrasibus, ac similibus potentia ista Verbi passim exprimitur, ut cum igni, petræ, malleo, semini, ancipiti gladio, pluviæ, lumini, comparatur*,

Psal. 119. v. 105. Prov. 6. v. 23. C. 9. v. 5. Esai. 55. v. 2. 10. Jerem. 23. v. 29. Ose. 6. v. 3. 5. Sirac. 15. v. 3. Mat. 13. v. 3. Marc. 4. v. 15. Hebr. 4. v. 12. 1. Pet. 1. v. 22. 2. Pet 1. v. 19 Jacob. 1. v. 21. *Et* efficaciam *Verbum semper habet, etiam ante usum, tanquam DEI verbum, quod sine divinâ vi nec intelligi, nec credi potest, Cum homini animali stultitia sit,* 1. Cor. 2. v. 14. *Et persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis opponatur, quòd non ita moveat, Vt ista,* 1. Cor. 1. v. 17. C. 2. v. 4. Efficientiam *nonnisi in usu habet, cum legitur, auditur, proponitur, consideratur. Vnde passim Scriptura voces* usum *insinuantes simul adducit,* Jerem. 23. v. 28. Joh. 6. v. 63. C. 17. v. 20. Rom. 1. v. 16. C. 10. v. 17. 1. Cor. 15. v. 1. 2. Ebr. 4. v. 2. 6. 7. 11. *Et tum Illuminatio ac motio opus & apotelesma Spiritus S. & Scripturæ simùl est, quia Spiritus S. per Scripturam, non sine eâ aut immediato afflatu ordinariè illuminat, etsi* duo illuminantia *sint, Spiritus & Verbum, Principale & Instrumentale. Quomodo una sectio est hominis per cultrum expedita, & si duo secantia, Principale Homo, & Instrumentale, Culter, â quibus unum utriusq; apotelesma proficiscitur.*

9. Divisio Scripturæ est, *quà in membra & partes subjectas dividitur. Ita in* Vetus & Novum Test. Libros Canonicos & Apocryphos, *quanquam hi ad Scripturam strictè acceptam non pertinent, sic enim tota ea Canonica est,* Propheticos, Apostolicos, & Evangelicos, Legales, Historicos, Paræneticos, & Propheticos *dividitur. Et Vetus T in Mosen, Prophetas, & Psalmos,* Luc. 24. v. 44. *Vel in Legem, Prophetas, & Hagiographa subdividitur: Novum in Evangelicam Historiam, & Epistolas, ac Apocalypsin dividitur.*

10. *Ex Scripturâ sumuntur* Articuli fidei Christianæ, *Capita nempè Doctrinæ in Scripturâ revelata, de illis, quæ ad salutem æternam credenda sunt.* Generaliter *fides in omne DEI Verbum fertur, creditq́ verum, quicquid DEus in Scripturâ revelavit:* Specialiter *tamen in certa quædam capita fertur, quæ magis cœteris sunt necessaria & utilia, quæ* Articuli fidei *vocantur. Qui* vel fundamentales *& prorsùs necessarij ad salutem sunt, & ipsam fideì substantiam concernunt, ut nec negari, nec ignorari possint, quales fermè puncta Symboli Apostolici sunt:* Vel non fundamentales, *& ad pleniorem ac distinctiorem notitiam in Christianismo pertinent, & ignorari quandoq́ salvâ salute possunt, non item negari. Vt Doctrina de Conversione, Antichristo, Ministerio, Magistratu Politico, Regimine Ecclesiastico, Notis Ecclesiæ, &c.*

11. *Scriptura nobiscum loquitur modo humano, quia hominibus scripta est, ut quæ tradit, intelligamus modo divino, quia â DEO ad homines missa epistola est, & condescendit nostro captui, ut assurgamus illius sensui, omniaq́ quæ* proponit, verissima sunt, *& si â nobis omnia satis distinctè semper comprehendi aut explicari non possint. Sic verba Cœnæ verissima, sed sensum eorum difficulter per nostram cœcitatem & contentiositatem assequimur.*

CAPUT III.

De DEO & S. Trinitate.

P*ost principium Theologiæ* ipsa Objecta Theologica in particulari *repræsentanda sunt. Quæ* theoretica seu credenda, & practica seu agenda *sunt,* C. 1, t. 5. *Inter theoretica primarium* DEUS *est: Secundarium*

cundarium

cundarium, quæ á DEO & ex eo sunt, ut operationes & opera divina.

2. DEus *quà existentiam, essentiam, attributa, & subsistentiam spectari potest.* Existentia est, quà reverâ in naturâ rerum est, non tantùm esse cogitatur, *& esse eum necesse est. Quod partim* Scripturâ *patet, quæ infinities DEi meminit, ab initio* Gen *1. v. 1.* seq *usq; ad* Apocal. 22. v. 18. 19. *Partim* Naturâ, *quæ Causas non in infinitum procedere sinit, sed ad primam ultimamq; reducit, quæ á nullâ aliâ causâ sit, Mundum non á seipso esse posse, sed ab alio existere oportere ostendit, ejus conservationem, mirabilem quandoq; gubernationem, ordinem & eventa in eo aliundè dependere docet, aliaq; proponit, quibus ad id homo inducatur.* Vt Tr. d. Not. Nat. C. 5. *dictum.*

3. Essentia est, quà Spiritus infinitus, independens, & inoriginatus est, qui à nullo alio, sed ab eo omnia, Joh. 4. v. 24. Job. 11. v. 8. 9. C. 37. v. 23. Pater ille Dn. nostri J. C. Joh. 17. v. 3. 1. Cor. 8. v. 6. 2. Cor. 11. v. 31. Ephes. 1. v. 3. C. 3. v. 14. 15. C. 4. v. 6. 1. Pet. 1 v. 2. 3. Apoc. 1. v 6. *A quo proximâ ac intimâ originatione ante secula emanant Filius,* Joh. 1. v. 1. seq. C. 3. v. 2. C. 15. v. 28. *Genitura Patris,* t. 5. *Et Spiritus S.* Joh. 15. v. 26. *Patris & Filij Spiritus,* t. 6. *Qui DEVS de DEO, & lumen de lumine, adeoq; unum cum DEO sunt: Et quæ essentia apprehendi à nobis utcunq; potest, non comprehendi:* Quidditatis *de eâ cognitionem habemus, sed non* quidditativam: *Esse agnoscimus, sed & superesse, ac á se solâ exhauriri illa potest. Intellectum autem humanum absorberi in illâ & ab illâ necessum est. Itaq; parum & é Scripturis tantùm desumpta de eâ loqui ac tractare decet.* Eccles. 5. v. 1. Esai. 8. v. 20. *Vbi hæ-*

ret animus, admirari & in cœlestem Academiam ac beatam illam DEI visionem amandare, non curiosius rimari, & extra DEI verbum scrutari aut tricari debet. Vt in Meth. de Trinit. & Tract. de non liquendo *dictum.*

4. Attributa DEI sunt perfectiones, quibus à posteriori in conceptu secundo DEI esse à nobis concipitur, ulteriùs determinatur, & quæ verè ab intellectu partitè & inadæquatè DEI esse concipiente de eo enunciantur. A parte rei *sunt ipse DEVS, & tàm abstractè, quàm concretè, verè de eo prædicantur. Vt, DEVS est potentia, sapientia, justitia sua.* A parte nostri conceptus *ratione ratiocinatâ fundamentum distinguendi in variis* objectis, effectis, prædicatis, oppositis, & analogijs creatis *inveniente, ab essentiâ & inter se distinguuntur, & distinctè cuivis suum formale assignatur. Hoc modo* vel positiva ea sunt, quæ vocibus affirmativis enunciantur, *ut Vnitas, Simplicitas, Singularitas, Veritas, Bonitas, unde Appetibilitas & Communicabilitas, Perfectio, Intellectualitas, unde Omnisapientia & Omniscientia, Voluntas, Libertas, Beatitudo, Omnipotentia, Iustitia & Sanctitas, ac Majestas seu Gloriositas:* Vel negativa, quæ vocibus negativis, *etsi sensum affirmativum habeant. Vt Infinitas, Independentia, Immensitas, unde Æternitas & Vbiquetas, Immutabilitas, Immortalitas, Indivisibilitas, & Incomprehensibilitas. De quibus in* Pneumaticis *plura.*

5. Subsistentia DEI est, quà DEUS verè in seipso & per seipsum subsistens, non in alio ut subjecto inexistens quid est. Spiritus enim est, t.2. *Qui substantia, non accidens. Ita partìm* in origine suâ *spectatur, quomodo inoriginatus & simpliciter ab alio independens est, & solus*

lus Pater in divinis est, Joh.17.v.3. *A quo omnia in cœlo & in terrâ orta sunt*, Rom.11.v.36. 1.Cor.8.v.6. *Etiam ipse Filius*, Gen.19.v.24. Joh. 5.v.19.26. C.6.v.57. C. 16.v.28. *Et Spiritus S.* Joh.15.v.26. Act.5.v.32. 1.Cor. 6.v.19. Gal.4.v.6. 1.Thes.4.v.8. Partim in proximis originatis suis, *quomodo aliquid à* DEO *Patre ante secula ortum est, originatum, & certo modo dependens ab eo, processio aliqua ac emanatio* DEI, *ex* DEO *orta*, Et Filius ac Spiritus DEI est, *qui vulgò tres personæ in uno* DEO *Ecclesiasticâ voce dicuntur.* *De quâ voce illud* Augustini 5. d. Trinit. *teneatur*, *Dicimus 3. personas, non ut dicatur, sed ut non omninò taceatur. Non enim rei ineffabilis eminentia hoc vocabulo explicari valet. Et dum rem ipsam ex phrasibus Spiritus S. in Scripturâ contentis tutiùs, simpliciùs, & utiliùs hauriri fas sit*, Metaphysicis terminis *fidem nimis implicari nihil necesse est, in quorum formali conceptu sæpiùs ne* Philosophis *quidem convenire potest, & quorum tricositates simplices Christiani non capiunt, quibus tamen etiam* DEUS *fidem dare constituit, quæ piscatoriâ simplicitate, non Philosophicâ subtilitate incedit, ut pluribus alibi dictum.* Conf. t.7. *Et* Iren. def. p.3. t.7. seq.

6. Filius DEI est DEUS, Joh.1.v.1. C.20.v.28. Rom.9.v.5. 1.Joh.5.v.20. Hebr.1.v.8. A DEO Patre suo, Joh.20.v.17. Et C.5.V.t.4. *Iehova à Iehovâ*, Gen. 19.v.24. *Et Iehova missus à Iehovâ*, Esai. 48. v. 12. 16. Zaccha.2.v.8.9.11. *Angelus faciei Iehovæ, in quo nomen* DEI *est*, Exod.3.v.2. C.23.v. 20. 23. C.33. v. 2. Esai.63.v.9. *Character hypostaseos Patris & splendor gloriæ ejus*, Hebr.1.v.3. *Ac imago* DEI *invisibilis*, 2. Cor. 4.v.4. Colos.1.v.15. *Iam ante secula à Patre genitus &*

possessus, Prov. 8. v. 22. C. 30. v. 4. Psal. 2. v. 7. Col. 1. v. 15. *Per quem Deus secula & omnia condidit*, Ioh. 1. v. 1. 2. Hebr. 1. v. 2. Ephes. 3. v. 9. Confer Psal. 102. v. 26. Es. 48. v. 13. *Et qui in seculo ex virgine Mariâ per Spiritum DEI genitus est*, Matt. 1. v. 25. Luc. 2. v. 7. Gal. 4. v. 4. *Mediator DEI & hominum in causâ salutis existens.* Matt. 1. v. 21. C. 20. v. 28. Gal. 1. v. 4. C. 2. v. 20. 1. Tim. 2. v. 5. 6. *Breviter, Est DEI Patris ante secula unigenitus*, Joh. 1. *& Virginis Mariæ in seculo de Spiritu S. primogenitus filius*, Matt. 1.

7. Spiritus S. est DEUS, Act. 5. v. 3. 4. *Quia DEI, & â DEO procedit*, Joh. 15. v. 26. *Et â DEO datus*, Act. 5. v. 32. 1. Cor. 6. v. 19. 2. Cor. 1. v. 22. C. 5. v. 5. Gal. 4. v. 6. 1. Thess. 4. v. 8. *Per Christum à Patre missus*, Joh. 15. v. 26. C. 16. v. 7. Luc. 24. v. 49. Act. 1. v. 4. *Unde & Filij Spiritus est*, Gal. 4. v. 6. Rom. 8. v. 9. 2. Thess. 2. v. 8. 1. Pet. 1. v. 11. *Virtus altissimi*, Luc. 1. v. 35. C. 24. v. 49. Act. 1. v. 8. C. 10. v. 38. *Advocatus ac Paracletus noster*, Joh. 15. v. 26. C. 16. v. 7. *Qui infirmitatem nostram adjuvat, & pro nobis inenarrabilibus gemitibus postulat*, Rom. 8. v. 26. 27. *Arrhaq; ac pignus hæreditatis nostræ est, quo obsignati sumus usq; in diem redemptionis nostræ*, 2. Cor. 1. v. 22. C. 5. v. 5. Ephes. 1. v. 13. 14. C. 4. v. 30. *Pater principium & fons Trinit. Inde specialiter DEUS sæpè in N. T. vocatur*, t. 2. *Et primus testis in cœlo est: Filius secundus, Spiritus S. tertius, Qui tres unum sunt*, 1. Joh. 5. v. 7. *Sed* vel *divino testimonio, ut contextui non repugnat*, vel *ineffabili modo ac arcano, cujus specialitatem in hac caligine dicere aut exprimere non est*, ut Meth. d. Trin. *dicetur*.

8. In hac piâ simplicitate *intraq; hos Scripturæ terminos*

minos fides Christiana utilissimè sistit, ad illos adhæret, & in illis firmiter acquiescit, ut quos ab optimo sentiendi ac loquendi in spiritualibus magistro, ipso Sp. S. profectos & adhibitos esse novit, & in quibus spiritualem vim, efficaciam, pondus, ac solatium invenit, cum termini humani incerti, vagi, inadæquati, tricosi sint, in primâ Ecclesiâ Christianâ non cogniti aut adhibiti fuerint, in ipsâ Nicænâ Synodo non satis perspecti fuerint, varias tricas & speculationes Philosophicas *inducant, Curiositati viam aperiant, â Spiritus S. verbis abducant, Theologis interdum dissvadeantur, ut* p. 3. Iren. def. *dixi, & â simplicitate, quæ in Christo esse debet,* 2. Cor. 11. v. 3. *in disceptata hominum deducant, ut* in Methodo de Trinitate, Libris de fide Christianâ, & Tr. d. corruptione fidei, *& alibi pluribus ostendetur.*

9. *Dari* aliquam in Divinis Trinitatem partim *ex baptismi nostri solenni ac universali institutione,* Matt. 28. *Qui in nullius meræ Creaturæ nomen expediri potest, Cum in remissionem peccatorum fiat,* Act. 2. v. 28. C. 22. v. 16. *Quam nonnisi â* DEO *expectare possumus,* Psal. 32. v. 5. 6. Psal. 51. v. 3. 4. Mich. 7. v. 18. Marc. 2. v. 7. *Cui soli ut legislatori peccavimus,* Psal. 51. v. 6. Iac. 4. v. 12. Partim *ex distinctâ ac frequente trium denominatione, Patris, Filij, & Sp. S. Et Dei de singulis appellatione,* t 4. 5. 6. Partim *ex spirituali ac publicâ Apostoli à tribus istis comprecatione, quà gratiam Christi, Caritatem Patris, & communicationem Sp. S. Corinthiis distinctè exoptat,* 2. Cor. 13. v. 13. *Quod â Creaturis fieri non solet;* Partim *ex solenni trium in cælo testificatione & descriptione,* 1. Ioh 5. Partim *distinctâ & solenni* DEI, *Filij, & Spiritus ejus, ac Iehovæ mittentis, missi, & Spiritus ejus in V. T. determinatione ac denominatione,* Psal. 2. v. 7.

Prov.

Prov. 30. v. 4. Esai. 48. v. 19. Partìm *distinctâ Symboli Apostolici confessione patet, cujus authoritas quà rem & dogmata, divina apud Christianos est, ubi distinctè in istos tres, Patrem, Fil. & Sp. S. nos credere profitemur. Non autem Christianus distinctè in aliquid* peculiari Symbolo se credere profitetur, *nisi in DEUM, aut personam divinam, & quæ DEI ac proximè intra DEUM aliquid sunt, qualia Filius ac Spiritus DEI sunt*, t. 4. 6.

10. Hæc Trinitas in V. T. obscuriùs repræsentata, in Novo manifestiùs expressa, *à Christo proposita, ab Apostolis prædicata & propagata, ac Symbolo fidei Apostolico universo mundo promulgata, ab Ecclesiâ Christianâ perpetuo omnium fidelium per omnia secula consensu recepta, à martyribus sangvine confirmata, à Patribus retenta, explicata, & defensa, ab infantibus in baptismo initiata est, quicquid de terminis humanis sit, quibus hoc aut illud interdùm enuntiatur,* qui rebus ipsis recentiores sunt, *sive illi ad rem satis quadrent, sive minùs, adhibendi aut rejiciendi sint, De quo* p. 3. Ir. def. *actum, & alibi pluribus agetur: Aut de variis tricis ac difficultatibus, quas ratio hic texuit, Curiositas provexit, hæretici disceptârunt, Quas ubi fides solvere non potest, relinquit, respuit, & superat,* 2. Cor. 10. v. 5. *Intra Scripturam ejusq; phrases sistit, & in Christianâ ac piscatoriâ simplicitate acquiescit.* V. t. 4. *Librorum enim & disceptatorum finis in hoc mundo non est,* Eccles. 12. v. 12. *Nec nos omnia spiritualia in hac caligine ad ungvem secare jussi sumus, nec infinita tricari de mysticis debemus, & omnia in illis definire non possumus.* V. Meth. d. Trin. t. 45.

CA-

CAPUT IV.

De Christo, DEI & Mariæ filio.

P*ost Patrem* ſecundus à DEO Patre Chriſtus, DEI Filius *eminet, de quo cum varia quærantur, ſpecialiùs in Theol. pertractandus erit.* Chriſti *appellatio nomen gratiæ & cognomen*, Jeſus *gloriæ & nomen eſt. Novum eſt nomen ratione ſingularis impoſitionis*, Mat. 1. v. 21. Luc. 1. v. 31. *Et novæ ac peculiaris ſignificationis*, Matt. c. 1. Act. 4. v. 12. *Deſcribi poteſt* Verbum Caro factum, Joh. 1. v. 14. *Immanuel, vel Deus nobiſcum*, Eſai. 7. v. 14. C. 8. v. 8. *Vel DEUS in carne manifeſtatus*, 1. Tim. 3. v. 16. *Vel qui ex Patribus, quantum ad carnem, & ſimùl benedictus in ſecula DEUS eſt*, Rom. 9. v. 5.

2. *DEUM illum eſſe*, partìm *aperta DEI appellatio directè illi tributa*, partìm *nomen Iehovæ directè & abſolutè de eo enuntiatum, quod de nullâ Creaturâ in ſacris ita enuntiatur*, partìm *creatio illi attributa*, Pſal. 102. Eſai. 48. Joh. 1. Heb. 1. V. C. 3. t. 5. Partìm *divinus honor & cultus ipſi DEO tribuendus Chriſto aſſignatus*, Pſal. 97. v. 7. Joh. 5. v. 23. C. 12. v. 41. C. 14. v. 1. Rom 15. v. 12. Heb. 1. v. 6. Apoc. 5. v. 13. C. 7. v. 10. *Quem cultum non niſi ſuppoſito naturâ DEO exhibere debemus*, Gal. 4. v. 8. *Et ſimilia docent. Unicus Pater major ipſo eſt*, Joh. 10. v. 29. C. 14. v. 28. *In quantum nempè Pater & principium eſt, à quo vitam & omnia Filius habet*, Joh. 5. v. 19. 26. C. 6. v. 57. *Et ſe habere profitetur*, C. 5. v. 22. 27. 30. C. 6. v. 37. 44. C. 7. v. 17. 18. C. 10. v. 18. 29. C. 12. v. 49. C. 13. v. 3. C. 14. v. 10. C. 17. v. 2. 22. 24. *Ut* de Comparativ. t. 18. *plurib.*

dictum. Dictum, Cultus, Opus, Confessio, Munera, Quinq; hæc, *Divinam Christi naturam mox tibi signant.*

3. Hominem *eum esse similiter hominis ac filij hominis appellatio directè & frequenter de eo usurpata*, Matt. 9. 10. 11. 12. 16. Marc. 15 v. 39. Luc. 23. v. 14. 47. Joh. 18. v. 29. & *passim*, *Et humanæ partes de eo enuntiatæ, ut corpus & anima humana*, Matt. 26. v. 26. 38. C. 27. v. 58. Luc. 23. v. 46. Joh. 12. v. 27. *Partim humana attributa & actus, ut intellectus, voluntas, loqui, flere*, Matt. 26. Luc. 2. Joh. 11. *Partim descriptiones ejus docent, ut cum fructus ventris Mariæ*, Luc. 1. *Ex muliere factus*, Gal. 4. *Et ut pueri carnem & sanginem participasse dicitur*, Heb. 2. *Cœlo quidem Caro Christi venisse dicitur*, Joh. 6. v. 33. 50. 51. *Sed efficientis & virtutis ratione, quòd cœlesti vi & virtute altissimi in utero Mariæ concepta sit*, Luc. 1. v. 35. *Non materiæ, quasi eam de cœlo detulerit, cum in Mariâ ea formata, & ex ejus sangvine â Sp. S. in conceptione separato, sanctificato, & ad hunc hominem peculiariter destinato, ea producta sit. Quomodo & baptismus Iohannis de cœlo*, Matt. 21. v. 25. *instituentis ratione fuit, cum materiam & actum his in terris habuerit. Post ascensionem in spiritum vivificantem factus dicitur*, 1. Cor. 15. v. 45. *Non substantiæ corporeæ abolitione aut immutatione, sed status & gloriæ cœlestis adeptione, quòd spiritualis vivificans factus sit. Abstractum pro concreto ponendo: Quomodo* Adamus *in animam viventem factus dicitur*, c. l. *Non abstractè & formaliter, quasi spiritus factus sit, sed concretè & materialiter, quòd animatus & vivens factus sit.*

4. *In Christo* Incarnatio, officium, & affectiones consequentes spectandæ. Incarnatio est veræ humanæ

naturæ singularis in filium DEI personalis assumptio & unitio, *redemptionis hominum causâ facta, & tàm divina, quàm humana de Christo verè enuntiari faciens.* V. Joh. 1. 1. Tim. 3. Hebr. 2. 1. Joh. 4. Inchoativè *& ratione effectionis ac procurationis est totius Trinitatis, Pater enim misit Filium, Filius venit, & Sp. S. supervenit ac inumbravit,* Luc. 1. Gal. 4. Terminativè *& ratione assumptionis solius Filij & Verbi est, & de quo solo dicitur, Caro factum est*, Joh. 1. *Tota Trinitas facit Carnem: sed solus Filius sibi univit & assumpsit. Ac membra Christi simul in conceptione delineata & effigiata esse, successivè tamen accrevisse credibile est, Quanquam in tantis mysteriis non omnia ad unguem resecari debent, in quæ & angeli παρακύψαι cupiunt.* 1. Pet. 1. v. 12. *Et si homo non peccasset,* DEI *Filius nunquam incarnatus fuisset, nec venire necessum habuisset.* Matt. 1. v. 21. C. 20. v. 28. Luc. 19. v. 10. Gal 4. v. 5. 1. Tim. 1. v. 15. *Infirmitates etiam nostras Christus suscepit, sed* miserabiles, *ut esurire, fatigari, non* peccabiles, *ut mentiri, furari.*

5. Ex incarnatione est unio DEI & hominis in Christo, *quæ* nec *Physica conjunctio,* nec *diversorum commistio,* nec *unius in alterum conversio aut immutatio,* nec *extrinseca tantùm parastasis, assistentia, adhæsio, aut conglutinatio,* nec *repræsentativa relatio,* nec *mera carnis à verbo sustentatio, gestatio, conservatio,* nec *arcana aliqua Verbi in Carnem influxio, ut* Vorstius *voluit,* nec *carnis ad certum locum, ubi, aut spatium, in quo existat, defixio,* nec *essentialis aliqua, ut animæ & corporis, coalitio,* nec *consensio, exaltatio, aut nuda denominatio,* nec *aliquid in communi rerum naturâ simile habens est, sed* arctissima, intima, inconfu-

sa, impermixta, extraëssentialis, indistans, mirabilis, totalis, & personalis Carnis cum Verbo ejusq; hypostasi conjunctio, *quà & Verbi hypostasis Carnis hypostasis facta est, & naturarum inter se communio, perichoresis, & totalis immeatio ac circumincessio, & idiomatum inter se inconfusa Communicatio secuta est, &* ex simplice hypostasi composita ex duobus, Verbo & carne, hypostasis facta est, *sicq; unus Christus DEO & homine consistens prodijt.* Unio *ista naturarum est, sed non naturalis: Et personalis est, sed non personarum.* Unio *reciproca est, tàm divinæ quàm humanæ Naturæ.* Assumptio *solius divinæ, & humanitas assumpta est, non assumpsit.* Actus unionis *est ipsa unitio:* Status *naturarum unitarum coalitio, pervasio, permeatio, & permansio.* Hic *permanet,* ille *transit.* Hic *inter naturas unitas & conjunctas,* ille *personæ simplicis est.* Hic *in naturarum permansione,* ille *in momentaneâ assumptionis duratione consistit.*

6. *Arcana unionis & communionis* nec *contemnenda, irridenda, aut blasphemanda,* nec *nimis curiosè & ultra debitum hic lustranda, nec partes, modi, aut species nimis solicitè assignandæ, nec extra Scripturæ phrases in his rebus facilè aliquid affirmandum aut constituendum est, cum nec in terrenis omnia assequamur,* Joh. 3. v. 10. seq. Sap. 9. v. 14. 16. *Sed cœcitatem nostram in naturalibus omnes deplorare cogamur, & in infinitas difficultates Scholasticas nimia curiositas provehat, Et in hæc mysteria etiam angeli* παρακύψαι *gestiant,* 1. 4. *Ac de mysteriis spiritualibus tutissimè Sp. S. lingva omnibus humanis lingvis & terminis præferatur.* V. C. 3. t. 2. 4. *Vt pluribus* alibi *ostensum est.* Similia *quæ hic adferuntur, in tantum, non totum sunt, nullumq; plenè unionem hanc adumbrat,*

umbrat, & quæ non totius cum toto sunt, in hoc negotio aliena sunt, ut de annulo & gemmâ, Oceano & Antverpiâ vel Rochellâ, Tyberi & Româ. Estq; post unionem Christus persona composita, non Physicè aut Metaphysicè ex duobus incompletis, sed Logicè & Theologicè ex duobus totis & perfectissimis, potiùs ad duo, quàm ex duobus, & magis numeri, quàm partium respectu, duæ enim naturæ hic: Et persona ista non est ex aliis aliud, sed ex aliis illaipsa, ac ratione & prædicatis quibusdam adeoq; formaliter à naturis suis junctis & simùl sumptis differt. Vt persona est composita, habet duas naturas, in utrisq; consistit, constat Verbo & carne, mortua ac crucifixa est, est θεάνθρωπος: non, duæ naturæ sunt compositæ, habent duas naturas, in utrisq; consistunt, constant Verbo & carne, mortuæ & crucifixæ sunt, θεάνθρωπος sunt. Prædicata personæ formalia naturis non competunt, ut esse compositam, Carnem & Verbum habere: Benè materialia, ut esse æternam, infinitam, omnisciam, omnipræsentem, quæ de utraq; vel alterâ naturâ rectè enuntiantur.

7. Ex unione naturarum communio, idiomatum communicatio, & prædicationes personales oriuntur. Naturarum communio est totalis & intima earum perichoresis, circumincessio, & immeatio, quà Verbum totam Carnem, & Caro totum Verbum permeat. Vt nullum horum extra alterum esse dici queat, nisi Christum solvere velis. Quomodo anima nullo modo extra hominis corpus poni potest, quamdiu corpus animatum manere dicitur. Duosq; actus primos in naturis parit, naturalem & personalem. Ille distinctionem notat, & esse ac existere cujusq; naturæ sequitur ac dicit: hic unionem, subsistere, & individuari subjecti. Ille naturas ponit & numerat, hic jungit & copulat.

Ex illo *DEUS est Spiritus increatus, & homo animal rationale;* Ex hoc *DEUS verè est hic homo, & hic homo verè est ille DEUS Verbum.* V. t. 12.

8. Communicatio idiomatum nec naturarum confusio *aut exæqvatio, effusio, aut transitiva donatio, aut mera verbalis vel tropica prædicatio, nec essentialis aut inhæsiva perfectio,* sed vera, realis ac personalis attributorum divinorum & humanorum in naturis Christi participatio est, quà unius naturæ proprium alteri ob unionem fit appropriatum, & de DEO humana, & homine divina verè in Concreto attribuuntur, *& sic de eo denominantur, & Caro Christi in attributorum ac effectorum divinorum realem participationem devenit, & DEUS Verbum quædam hominis propria sibi realiter appropriavit, & consequenter ea de Christo & Naturis in concreto enuntiantur. Ut, Semen mulieris conteret caput serpentis,* Gen. 3. v. 15. *Verbum vitæ contrectatum, visum, auditum,* 1. Ioh. 1. v. 1. *Dominus gloriæ crucifixus,* Act. 3. v. 15. 1. Cor. 2. v. 8. *Et sangvis Iesu Christi nos ab omni peccato mundat,* 1. Ioh. 1. v. 7. Heb. 9. v. 14. Apoc. 1. v. 5.

9. Triaq; ejus genera è *Sacris observantur, & in Theologicis adducuntur.* I. Ἰδιοποιία vocatur, *& naturarum propria discernit, ut, Christus passus est in carne,* 1. Pet. 4. v. 1. *DEUS in carne manifestatus est,* 1. Tim. 3. v. 16. II. Μεταποιία *& Carnis peculiaria Charismata tradit, ut, Caro Christi verè cibus, & panis de cœlo descendens est,* Ioh. 6. v. 51 55. *Vox Christi mortuos in vitam revocat,* Ioh. 5. v. 25. 28. *Iudicium divinum Christo datum, quà filius hominis est,* Ioh. 5. v. 27. *Virtus sanandi è Corpore Christi exijt,* Marc. 5. v. 30. Luc. 6. v. 19. C. 8. v. 46. *Sangvis Christi*

nos ab omni peccato mundat, 1. Ioh. 1. v. 7. Heb. 9. v. 14. *Christum DEVS unxit oleo lætitiæ ultra consortes*, Psal. 45. v. 8. Hebr. 1. v. 9. *Super radice Iesse Spiritus Sapientiæ, fortitudinis, consilij, & timoris Domini reqviescit*, Esai. 11. v. 1. *Christus spiritu suo cognovit cogitata Scribarum*, Marc. 2. v. 8. *Et quid in homine esset*, Ioh. 2. v. 25. C. 6. v. 64. C. 16. v. 30. *Ac omnia novit*, C. 21. v. 17. *Christo passo, mortuo, & resuscitato data est omnis potestas in cœlo & terrâ*, Matt. 28. v. 18. *Vnde caro excludi nequit, in eâ enim & secundùm eam passus, mortuus, & suscitatus est. Per hominem resurrectio mortuorum*, 1. Cor. 15. v. 21. *Novissimus Adam in Spiritum vivificantem factus est*, v. 45. *Christus angelis major factus est*, Heb. 1. v. 4. *Quod de Deitate intelligi neqvit. Ob humiliationem exaltatus est, nomenq́; supra omne nomen accepit*, Phil. 2. v. 9. III. *Κοινωποιία, & utriusq́; Naturæ apotelesmata ostendit. Vt, Filius DEI opera Diaboli dissolvit*, 1. Joh. 3. v. 8. *A maledicto legis nos liberavit*, Gal. 4 v. 4. *Filius hominis venit salvare animas*, Luc. 9. v. 56. *Homo Ies. Chr. Mediator DEI & hominum est*, 1. Tim. 2. v. 5. *Christus pro nobis maledictum factus redemit nos à maledicto*, Gal. 3. v. 13. *Dedit seipsum pro nobis hostiam & oblationem DEO*, Ephes. 5. v. 2. In primo *idioma formaliter unius naturæ, personaliter utriusq́; & suppositi est*: In 2. *formaliter divinæ, personaliter humanæ & suppositi*: In 3. *utraq́; natura, quod suum est, agit, sed cum alterius communicatione*.

10. Omnia attributa *Carni Christi sunt communicata, quia πᾶν πλήρωμα θεότητος σωματικῶς in eâ habitat*, Colos. 2. v. 9. *Sed* non omnia æqualiter & directè de eâ denominantur; *nec pariter omnia in officio mediatorio se exerunt, ut*

æternitas,

æternitas, infinitas, simplicitas: sed omnipotentia, omnisci-entia, vis vivifica. Vnde rectè Caro Christi omnipotens, omni-scia, vivifica, non autem æterna, infinita, simplex, vocatur. Sic potentia DEI per creationem se exeruit, unde omnipotens creatio vocatur, non æternitas, simplicitas, beatitas, unde non æterna, simplex, aut beata appellatur. Sic corpus huma-num vivum, animatum, sensitivum, rationale, ab animâ vo-cabis, non immortale, incorruptibile, spirituale, etsi talis ani-ma sit. Et quicquid proprio sensu *Christo in tempore da-tum est,* ut verè ratione sui in seipso melior ac præstan-tior Christus factus sit, Heb. 1. v. 4. *id secundùm humani-tatem datum est.* Unio *propriè non data, sed facta, & datorum fundamentum est.* Humanitas *unita Verbo in tem-pore, non data est.* Officium *non datum, sed commissum est, & eo nos perficit,* Heb. 10. v. 14. Ut cum Carne Mediator Christus sit, *in carne & per eam omnia impleat & regat, incarnationem consecutum, non Christo incarnato pro-priè datum est.* Jurisdictio Ecclesiastica *data Christo ut DEO ab æterno, ut homini in tempore.* Relatio Officij *ex eâ ex-surgens, ut Rex, Sacerdos, Propheta noster sit, inter dona exaltantia non est, sed nova determinatio supposito ex novâ quadam relatione tributa est, eoq; toti supposito adscribi potest.* Redemptio mundi & passio in carne *Christo non data, sed commissa & imposita est, & per eam nos perfecit, non seipsum.*

11. Ascensus Christi in cœlum localis à terrâ usq; ad nubem ascensus est, *quod voces* ἀνελήφθη, διέστη, ἀνεφέρετο, ἐπήρθη, *aliæq; verè important,* Marc. 16. v. 19. Luc. 24. v. 51. Joh. 20. v. 17. Act. 1. v. 9. seq. Ephes. 4 v. 8. 9. *Donec nubes eum ab oculis spectantium subduxit, tùm enim*

disparitio,

disparitio, status mutatio, & ad dextram Majestatis in excelsis consessio sequitur, Terminusq́; ascensionis dextra DEI, non locus, fuit, Marc. 16. Act. 1. Luc. 22. v. 69. Ephes. 1. v. 20. Hebr. 1. v. 3. C. 8 v. 1. *Et ad dextram DEI sedere est regnare*, 1. Cor. 15. v. 25. *Sed non absolutè, sic enim & Pater, & Spiritus Sanctus, & Sancti cum Christo regnant*, Apocal. 20. v. 4. 6. *Qui nunquam ad dextram DEI sedere dicuntur*, Hebr. 1. v. 13. *Verùm comparatè ita regnare, ut priùs passus, & mortuus, & resuscitatus sis*, Hebr. 2. v. 9. Ephes. 1. v. 9. *Et post mortem omnia sub pedibus subjecta acceperis*, 1. Cor. 15. v. 27. Hebr. 2. v. 8. *Quòd soli Christo competit.* Et sedet Christus, ut judex: stat, ut intercessor. Descensus autem Christi ad inferos *partìm tropicus est, dolorum infernalium corpore & animâ perpessio*, Psal. 16. v. 10. Psal. 22. v. 1. 7. seq: Act. 2. v. 24. *Partìm proprius, quò jam vivus spiritibus in carcere prædicavit*, 1. Pet. 3. v. 19. *potestates exspoliavit, & triumphum in seipso confidenter de illis egit*, Coloss. 2. v. 15. Ephes. 4. v. 8. 9. *Qui ad statum exaltationis pertinet, & sub principium resurrectionis in magno terræ motu*, Matt. 28. v. 2. *factus probabiliter creditur.* V. Paschal. t. 58.

12. *Vnionem & Communionem in Christo* prædicatio personalis *sequitur, quæ est* vera divinorum & humanorum de Christo in concreto facta affirmatio, unione & communione fundata. *Estq́;* ex generalitate Logicâ *affirmans, vera, paronymica, extraëssentialis, ac denominativa in genere, non prædicabilis in specie*, ex specialitate Theologicâ *mystica, inusitata, & personalis attributio. Vt, homo est DEVS, & contrà, Germen Davidis est Iehova justitia nostra*, Jerem. 23. *Quod ex Mariâ natum est, filius*

altissimi vocatum est, Luc. I. v. 32. 35. *Christus ex Patribus secundùm carnem DEVS h. i. s. est*, Rom 9. v. 5. Conf. C. 18. t. 5. Disparatorum dicitur, *quia naturæ Christi etiam in unione verè disparatæ manent: sed non prædicantur quà disparatæ, verùm quà junctæ & unitæ. Nisi hoc esset, una de alterâ verè affirmari non posset. Affirmationis enim fundamentum unio, ut negationis, separatio est.* Terminis etiam absolutis *disparata paronymicè enuntiari, ubi juncta sunt, multa exempla docent. Vt, Leo est Pardus, & contrà, Camelus est Pardus, Equus est Cervus, Hircus est Cervus, Canis est Vulpes, Cervus est Dama & vicissim, Poculum est lignum, aurum, stannum, &* Tr. de modis prædicandi S. 2. t. 6. seq. *pluribus deductum est.*

13. Officium est status Christi, quo in Mediatorem DEI & hominum à DEO constitutus, quæ ad illud pertinent, suscipere & expedire ut homo & ut DEUS debuit. *Vnde utriusq; naturæ de eo mentio*, Jerem. 23. v. 14. 15. Act 3. v. 15. C. 20. v. 28. Luc. 9. v 56. I. Tim. 2. v 5. *Solus enim DEVS pati & mori, & solus homo moriendo mundum redimere, ac Sathanam superare non potuit. Vnde medius & medians inter DEVM & homines Christus fuit.* Humanitate *à DEO recedit, & ad hominem accedit:* Deitate *ab homine recedit, & ad DEVM accedit: Vtraq; inter DEVM & homines intercedit. Mortuus est, ut homo, vicit ut DEVS, redemit, ut homoDeus. Mortuus est, ut Sacerdos, & peccatum expiavit*, Hebr. 9. v. 12. seq. 28. C. 10. v. 10. seq. *Salutem reduxit & obtulit, ut Rex*, Zacch. 9. v. 9. Malach. 3. v. I. Psal. 110. v. 2. Matt. 21. v. 5. Joh. 18. v. 37. Apoc. I. v. 5. *Annuntiavit & prædicavit, ut Propheta*, Deut. 18. v. 15. Esai. 61. v. I. Mat. 4. v. 17. 23. Joh. 2. v. 2.

14. *Distin-*

14. *Distinctio inter* totum Christum & Christi in operationibus ac passionibus distinguendis & assignandis locum habet, *Vt totus Christus passus, mortuus est, totus creavit cœlum & terram, sed non totum Christi, non enim Deitas passa aut mortua, nec humanitas creavit: Sic totus Petrus videt, audit, sed non totum, oculo enim videt, & auribus audit, non manibus aut pedibus: Totus homo moritur, sed non totum hominis, non enim anima:* Sed in præsentijs describendis *non procedit, sed utrumq; perinde est. Sic totus homo præsens, & totum hominis, non anima aut membrum aliquod excluditur. Sic totus Petrus in atrio est, & totum Petri: Ita totus Christus & totum Christi nobis adest:* Nec adesse *sufficienter explicatur per favere, auxiliari, interpellare, juvare, influere, cooperari, Quasi Christi caro præsens, quòd faveat ac juvet nos in cœlo,* Rom.8. v.34. *Cooperetur nobis,* Marc.16. v.20. *Sed adessentiam realem rei, quæ adesse dicitur, in spatio simùl requirit. Vobiscum sum, in medio eorum sum, in medio Candelabrorum ambulo,* Matt 18. v. 30. C. 28. v. 20. Apoc. 1. v.13. *præsentiam apud alios, quibus promittitur, reqvirit.* Nec *satis adæquatè in Theologicis Christi patrocinium & interpellationem pro nobis præsentiam in Ecclesiâ gratiosam appellabimus, qvamvis ad eam plenè & Theologicè sumptam pertinere rectè dicatur. De quo latè* Tr.d. esse alicubi s.1. & 2. *actum.*

15. *Non quidem semper Christum habemus,* Matt.27. v.11. Marc.14. v.3. Joh.13 v.8. *Etiamsi adsit, quia non ut olim in mundo, civiliter ac familiariter sub servi formâ cum ipso sociari ac conversari possumus, ut ei benefacere queamus,* Marc.14. v.7. *Sic enim reliqvit mundum,* Joh. 16. v.28. *Imò cum adhuc in mundo versaretur, sic non in*

mundo esse dixit, C.17. v.11. *Quia non amplius mundana cogitabat aut curabat, sed excessum è mundo, & ad Patrem accessum*, v.14. 16. C.13. v.33. C.14. v. 28. C.16. v.5. *Adest tamen Christus DEUS & homo, ubicunq; se futurum promisit.* Hoc enim ad officium ejus pertinet, *ut Rex n. Propheta, & Sacerdos noster adest. Officium autem Christus secundùm utramq; naturam exsequitur. Et præsentia Christi exaltati est per modum dextræ DEI*, Psal. 139. v. 8. seq. Psal. 20. v.7. Psal. 60. v.7. Psal. 77. v. 11. Psal. 89. v.14. Psal. 118. v.15.16. *Quæ non est quà substantiam absentis, qui modus dextræ humanæ est, sed præsentis.* Et vel *loca ad hujus mundi nomina non pertinent*, vel *ea etiam dextræ DEI subjecta esse oportet*, Ephes. 1. v. 20. *Ut Christus ad eam exaltatus, etiam illis dominari, eoq; se præsentem, ubicunq; velit, aut promisit, sistere possit. Dominatur etiam Christus in medio inimicorum*, Psal. 110. v 2. *Sed à solis piis habetur ac possidetur, qui eum ut portionem suam habent*, Psal. 16 v.5. Thren. 3. v. 24. *Ac præsentia extra locum* οὐσιωδῶς *& essentiali modo solius DEI est: Sed* ὑποστατικῶς *& personali etiam assumptæ carnis in Christo esse potest.* Cogitandaq; *de eâ sunt, quæ perfectionis & eminentiæ*, Removenda, *quæ imbecillitatis & mundanæ deficientiæ sunt. Ut concludi, pati, alligari, stringi, uri, spurcari, dolere, &c. Ut latiùs* Tr. d. Multipræs. t. 83. seq. *deductum*.

CAPUT V.

De DEO quà efficientiam spectato.

SIc DEUS quà substantiam *spectatus.* Quà efficientiam *spectatur, quando in operationibus consideratur.*

Efficien-

Efficientia DEI est actus divinus, quo intra & extra, & in hoc omnia in omnibus, ac singula in singulis quantum ad motum & motus perfectiones, non defectiones, operatur. Act. 17. v. 28. Rom. 11. v. 36. Eph. 1. v. 11. *Sic motum brachij & manus in fure facit, deflexionem peccabilem in fraudulentâ alieni contrectatione non facit, sed prohibet & odit*, Exod. 20. v. 15. Actus divinus est perfectio in secundo DEI momento ac conceptu ei tributa, qua ut ad aliquid se exserens concipitur, definitur, & denominatur. Activè *sumptus ipsa essentia DEI cum relatione ad operandum concepta est:* Passivè *ipsa Creatura aut factum cum eadem sumptum.* Mutationem *veram DEO non importat, ut nec ignis in se verè mutatur, cum novam aqvam appositam calefacit, quam ante non, aut Sol radios super novam urbem, pagum, aut castellum spargens, quæ antea non extiterunt, cum in aqvâ & urbibus aut ædificijs vera mutatio propriè contigerit.* Sæpè *non in DEO, sed â DEO & in Creaturâ terminatus est, ut Creatio, Conservatio, Gubernatio, Influentia, eoq; DEUM non mutat, sed quod â DEO factum est, quod aliud & aliud factum est.* V. t. 4.

2. *Ratio efficientiæ DEI est* omnipotentia, quà quicquid vult, & possibilis rationem ullo modo habet, efficere potest, non quod naturâ sui est impossibile, *ut contradictorium, aut posse impotentiæ & defectus, non perfectionis est, ut mentiri, mori, mutari, deficere posse*, Gen. 17. v. 1. Psal. 115. v. 3. Psal. 135. v. 6. Jerem. 32. v. 17. 27. Zacch. 8. v. 6. Eccles. 3. v. 15. Esai. 38. v. 13. Judit. 9. v. 3. 4. *Nihilq; ei absolutè volenti resistere potest.* Judit. 16. v. 17. Rom. 9. v. 19. Deut. 32. v. 39. 2. Chron. 14. v. 11. C. 20. v. 6.

20. v. 6. Esai. 14. v. 27. *Et potentia DEI activa est, quà aliis communicare, non passiva, quà reale aliquid ab aliis in se recipere potest.* Esai. 40. v. 13. seq: Rom. 11. v. 35. Job. 41. v. 2. *Potensq́; est DEUS potentiæ plenitudine, non proportione aut participatione, quæ in ultimo sui stat, ex quo inferatur omne, quod citra ultimum est, & quæ voluntati juncta rerum omnium causa est,* Psal. 115. 135. Eccl. 3. v. 15. Apoc. 4. v. 11. *Et unica in DEO est potentia in sese, ut una est essentia: Etsi ratione modi agendi, objectorum, & effectorum, variè dividatur, ut* absoluta ac conditionata *vel ordinata,* generalis & specialis, solitaria & voluntati juncta, *interna & externa, aliterq́; denominetur. Ac per tria in maximo ponitur potentia DEI;* per universalitatem, *quòd absolutè omnia factibilia possit,* per facilitatem, *quòd sine ullo instrumento, materiâ, labore, curâ, morâ, molestiâ, possit:* Et immensitatem, *quòd semper opus suum infinitè excedat.*

3. Ei subjicitur factum sub ratione fiendi, non facti. Quando enim factum est, amplius fieri non potest. Et impotentia sic ex parte rei, quæ naturâ sui fieri non potest, non DEI est, quasi is impotens esset. Ex naturâ sui *potentia DEI ab omni tempore abstrahit, & ab æterno in æternum perdurat.* Objecta & effecta *ejus tempori subjacent, & per præsens, præteritum, ac futurum variantur. Sic olim creavit mundum, quotidiè gubernat, in fine mundi destruet. Hoc modo cum de potentiâ DEI ad res relatâ loqvimur, per differentias temporis de eâ loqvimur. Sic aliqvando fecit, facit, & faciet aliquid.* Sed nec *è potentiâ DEI factum rei statim concludendum, nisi & de voluntate ac reipsâ constet:* Nec *cum de hac satis constat, disceptandum de virtute aut possibili in re, aut qualicunq; apparente Contradictione à mente formatâ,*

sed præsumendum de veritate, & fide credendum, ac DE-*VM supra, quàm intelligimus, facere posse statuendum,* Ephes. 3 v. 20. *Sic Abraham fecit,* Rom. 4. v. 18. seq. *Et Moses diffidens de potentiâ reprehensionem DEI incurrit,* Num. 11. v. 21 seq. *& eques Iorami,* 2. Reg. 7. v. 2.

4. *Cum* ex non agente evadit agens DEUS, *non mutatur, quia non ex torpore & otio in actum procedit, aut novo motu activo se in eum deducit, nec mediante motu agit, ut nos; Sed ex purissimo actu,* Jac. 1. v. 17. *in externam exsertionem ad externum quid se profert, & id, quod exsertione istâ producitur, mutat, non* DEVM, *cui nova relatio ad effectum, & ex eâ denominatio Effectoris, Creatoris, gubernatoris, accedit, quod sine ullâ DEI mutatione fieri potest. Vt Sol nube obductus radios in Orbem non projicit, quibus in se tamen semper lucet, remotâ nube spargit, & Orbis illuminatur, quod non ante, & sic Orbis mutatur, Sol in se immutabilis persistit.* V. t. 1.

5. Efficientia DEI & actio, & opus dicitur, *& interdùm ista distinguuntur.* Actio *est operatio, quà* Opus est *res, quæ fit. Actio est â* DEO, *quia ille prima efficiens, In* DEO, *quia ipse prima idea,* Rom. 11. v. 36. *Cum* DEO, *quia esse, vivere, & moveri omnium agentium ab illo,* Act. 17. v. 28. *Ac Concursus ejus ad omnem motum est,* C. 9. t. 2. *Et ad* DEVM, *quia ipse summus omnium finis est, cum omnia ob sui gloriam agat,* Prov. 16. v. 4. Esa. 48. v. 11. *Et nos ad eam omnia operari debeamus,* 1. Cor. 10. v. 31. Colos. 3. v. 17. 1. Pet. 4. v. 11. *Cuncta movet, non movetur, Cuncta tenet, non tenetur: Operaq; DEI naturæ ejus buccinæ & testimonia sunt. Intra se operatur DEVS necessariò, naturæ sublimitate; Extra se liberè, & sanctæ volun-*

tatis plenâ libertate: Vtrobiq; optimè, cum mali author non sit, & si director & ultor esse possit. C. 6. t. 3. 4. Et L. 2. C. 5. t. 4.

CAPUT VI.

De Operationibus DEI internis.

OPerationes DEI internæ & externæ sunt. Internæ, quæ in ipso DEI esse actu interno & æterno terminantur. Suntq; communes, *quæ à termino communi, essentiâ DEI tribus suppositis communicabili, prodeunt,* Et singulares seu personales, *quæ à termino singulari, una alterave personâ. Vt generatio Filij à Patre, spiratio Spiritus S. à Patre & Filio. Et terminos propriè hæ actiones habent, non effecta, hoc enim imperfectionem redolet. Sic* Filius *non est effectum Patris, nec* Spiritus S. *Filij: Concipiendæq; sunt cum summâ eminentiâ, perfectione, sublimitate, ac omnis imperfectionis remotione.* Ordinem *aliquem operandi dicunt, salvâ dignitate & æqvalitate omnium.* Pater *à seipso inoriginaliter,* Filius *à Patre & originaliter, &* Spiritus S. *à Patre & Filio originatè agit.*

2. Operationes communes sunt Intellectio, Volitio, Consilia, & Decreta. Intellectio est actus divinus internus, quo omne intelligibile perfectè & divino modo uno simpliciq; actu citra discursum & imperfectionem in ipsâ essentiâ ut perfectissimâ ideâ totaliter intuetur & exhaurit. Esai. 40. v. 13. 14. 28. Job. 28. v. 23. Ps. 94. v. 10. *Etiam* ens rationis *vel mediatè, per totam intellectus humani capacitatem, quam cognoscit,* vel immediatè, *convenientiam ejus ad rem cognitam pervidendo, ut hominem*

esse

esse speciem, Individuum: *Etiam* futurum contingens *in existentiâ futurâ possibili spectatum, quæ sine ratione futuritionis ut præsens objectivè intellectui divino repræsentari potest. Nam ut ille de re mutabili immutabilem, temporariâ æternam, transitoriâ permanentem, incertâ certam, futurâ præsentem notitiam habet: Sic & de contingentibus determinatam. Et sic multa reverâ in naturis suis contingentia verè DEUS prædixit.* Gen. 15. v. 3. C. 18. v. 19. Exod 4. v. 14. Deut. 31. v. 16. 21. 29. Esai. 41. v. 23. Psal. 139. v. 2. Dan. 2. 5. 7. 8. 9. 11. Ezech. 38. & 39. *Maleq; hæc DEO â Photinianis*, Socino C. 11. præl. Smalcio d. 12. poster. c. Frantz. alijsq;. *Ut* Arminianis, *negatur.*

3. Ideæ divinæ *sunt ipse intellectus divinus, ante res creatas, non post illas & ex illis abstractæ, ut in nobis solent,* Exemplaria *omnium agendorum, gubernandorum, dirigendorum. Intellectus creatus per analysin ex rebus sumptam, divinus per genesin ex propriâ eminentiâ procedit, eoq;* priùs hic omnia in mente, quàm ente, & ideâ, quàm existentiâ sunt, *ac scientia divina exemplar, res creata exemplatum & imago ex eâ expressa est.* Idea exprimens, non ab extra impressa est, *& in DEO in sese unica, sed virtualiter infinitis objectis æquipollens est. Et perfectionum in Creatis in DEO sunt: Imperfectionum tantùm virtualiter, quà in bonis ut privationes esse habent, sicq; & cognosci. Malum enim privat bonum, & sic in eo idea ejus continetur. Ac per quod DEUS intelligit, per id etiam vult, esse suum, C. 3. t. 3. Sed non, quod intelligit, id statim vult. Mala enim & bona intelligit, sed mala non vult.* Psal. 5. v. 5.

4. Volitio est actus internus, quo omne justè volibile ab æterno uno constante ac libero actu essentiali-

ter ob sui gloriam vult, & in tempore pro beneplacito suo volitum suum, qualiter vult, exsequitur. *Sic quædam absolutè vult*, Psal. 115. Eccles. 3. V. C. 5. t. 2. *Quædam ordinatè, ut omnes salvos, qui credant*, Marc. 16. v. 16. Joh. 3. v. 16. *Quædam effecta*, Exod. 6. 7. 8. *Quædam permissa*, Num. 22. v. 20. 35. 1. Reg. 22. v. 22. Psal. 81. v. 12. 13. Ezech. 24. v. 8. Act. 14. v. 16. *Quædam omissa & suspensa, ut intempestiva*, Act. 16. v. 6. *Ad volitionem pertinet* beneplacitum DEI, *actus divinæ voluntatis internus, liberè, justè, & potenter de omnibus rebus decernens & constituens*, Prov. 16. v. 33. Matth. 6. v. 28. C. 10. v. 29. Jac. 4. v. 15. Jerem. 10. v. 23. *Et hoc beneplacitum semper fit aut ab hominibus, aut de hominibus, aliisvè creaturis. Sic qui voluntatem gratiæ non faciunt, Vol: iræ & justitiæ interdum sentiunt, ut Pharao*, Exod. 14. *Impij Iudæi*, Jerem. 38. 39. *Absalom*, 2. Sam. 15. 18. *Et similes.*

5. Consilium DEI est actus internus, quo bonum esse aliquid, ut sit aut non sit, judicavit. *Quam vocem de DEO Scriptura adhibet*, Psal. 33. v. 11. Esai. 46. v. 10. Jerem. 32. v. 19. Ephes. 1. v. 11. *Et temerè à* Scaligero ex. 365. s. 8. alijsq; *rejicitur. Quod Consilium DEI ut futurum constituit, præscientia ut certum prævidet, decretum ut ratum determinat.* Decretum DEI est act. int. quo ab æterno DEUS de rebus extra se decrevit, quod voluit. *Alia facere, alia permittere, Omnia ad fines dirigere*, t. 4. Ex parte DEI *decretum est unicum, idemq; quod essentia DEI decernens*: Ex parte rerum & objectorum, *nostriq; distincti concipiendi modi, varia sunt, & nec DEUM mutant, etsi in objectis ab extra mutationem inferant, nec imperfectiones ullas admistas habent, ut humana, quæ mutantur, pœniten-*

pœnitentiam ſæpè comitem trahunt, & ſæpè irrita fiunt, etſi humano more DEVS pœnitere dicatur, Gen. 6. v. 6. 1. Sam. 15. v. 11. Jerem. 18. v. 8. 10. *Non enim dolor ex facto ortus eſt,* 1. Sam. 15. v. 29. Num. 23. v. 19. *Nec affectivum quid, ſed effectivum, Et DEI pœnitere eſt aliquid velle abolere.* Gen. 6. v. 7. 1. Sam. 15. v. 11. 23. 26. Jerem. 18. v. 8. ſeq. *Ac* ordinem aliquem prioris ac poſterioris *decreta divina admittunt. Sic decretum Creationis & de lapſu permiſſionis ut prius, Redemptionis & glorificationis ut poſterius concipimus.*

6. In primâ intentione DEUS omnia ex caritate ac in eâ conſtituit, *ut ipſa prima & eſſentialis Caritas,* 1. Joh. 4. v. 16. *Et ſummus omnis filiationis Pater,* Epheſ. 3. v. 15. *Ex ſecundâ res deflexuras prævidens, quædam ex irâ & juſtitiâ decrevit, & alienum opus peregit,* Eſai. 28. v. 21. *Quando proprium ſuccedere noluit.* Eſai. 10. v. 5. ſeq. Jer. 7. v. 13. ſeq. Eſai. 5. v. 5. ſeq. *Ac omnia decreta DEI ab æterno ſtant,* Act. 15. v. 18. Epheſ. 1. v. 4. *Executio eorum eſt temporaria. Exacta etiam inter ea & executionem eſt harmonia, & ob quod DEVS aliquid in tempore agit, ob id ab æterno agere conſtituit. Velut ob quod Cæſar bellum contra Turcam gerit, ob id etiam illud gerere exantè decrevit: Etſi formali ratione executio ab decreto differat, ut temporale ab æterno, factum à conſilio, & effectio â deliberatione.* Abſoluta dici poſſunt *cauſaliter & ſubjectivè, Quia cauſas extra DEVM non habent, nec DEO ut accidentia inhæſiva ſubjecto inhærent:* Non ordinativè & mediatè, *ut nulla media & ordinem ſubordinata habeant. Sic enim quædam abſoluta, ut Creationis, quædam ordinata ſunt, ut Iuſtificationis & Salvationis, per fidem,* Joh. 3. v. 16. *Sic Iſraëlitas in*

Canaan ducere decrevit, sed si obedirent, Num. 14. v. 22. 23. Conf. Deut. 28. 29. Zach. 6. v. 15. *Et* Cap. 7. t. 2. *hujus libri.*

7. Decretum DEI vel generale est, *de omnibus rebus creandis, permittendis, aut impediendis, & gubernandis, & providentia æterna vocatur:* Vel speciale, *de Creaturâ rationali respectu status æterni, salutis aut damnationis, spectatâ. Et prædestinatio aut reprobatio dicitur*, de quâ C. 7. Providentiam DEO inesse *Scriptura & DEI Natura docet, quæ omnisapiens, omnipotens, bona, justa, & verax est, eoq; sine provisione esse non potest*, Et C. 9. t. 1. *patebit. Actus ejus tres sunt.* Omnia *circa Creaturas universim indefinitè præscire*, media *& fines præfinire, & res à sese præfinitas definitè etiam scire.* Act. 15. v. 18.

8. *Et hoc modo* Providentia DEI rerum à se jam præfinitarum Causa dici potest non propria & consequentis, *ut faciat res esse, sic enim Creaturæ variarum rerum Causæ: Et decretum DEI res suis naturis relinquit, non eas evertit:* Sed analogica & consequentiæ, *faciens, ut res consequatur, prout jam DEVS definivit. Sic prædictum, Iudam Christum proditurum, & Christum moriturum*, Psal. 41. v. 10. Joh. 13. v. 8. Dan. 9. v. 26. Joh. 11. v. 51. Act. 2. v. 23. *Iudæos non credituros*, Esai. 53. v. 1. C. 6. v. 9. Joh. 12. v. 37. seq. *Necessariò eventus respondit, non ut effectum veræ causæ, sed ut consequens antecedenti, & eventus præsagio: Acl ó ut, ἵνα, in sacris sæpè eventuale est, non causale.* Matt. 1. v. 22. C. 4. v. 14. C. 27. v. 35. Joh. 9. v. 39. *Ita Medicus certò prævidet, ægrum moriturum, & hoc modo illud necessarium. Naturâ sui tamen verè contingens est, & potuit æger non mori.* Sic supera spectantibus *omnia videntur*

dentur necessaria, & necessariò evenire: Sed infera & causas propinquas multa contingentia sunt. Præscientia DEI voluntati juncta Causa omnium est: Ab eâ sejuncta antecedens est, & eventum ex prævisione ac conditione certum facit, non verâ aut propriâ Causalitate.

9. Providentia DEI æterna est norma eorum, quæ in regno naturæ ac potentiæ fiunt, *vel fieri permittuntur*, Matt. 10. v. 29. *Et naturas rerum DEI instituto servire, ac contra intentiones particulares ferri facit. Sic ferrum aquis supernatare*, 2. Reg. 6. v. 6. *Aquas non fluere, sed instar muri consistere*, Exod. 14. v. 22. *Ignem ustibilem materiam non urere*, Dan. 3. v. 27. *Et similia: Oßa Christi non frangi oportebat, etsi naturâ sui frangibilia essent*, Joh. 19. v. 36. *Ac ubi omnia penetrare hic non possumus, justa tamen omnia DEI judicia esse, etsi nobis occulta, confiteamur.*

10. *Etiam mortem hominis, genus, & tempus determinavit*, Job. 14. v 5. Psal. 139 v. 16. *Sed cum conditione pietatis aut impietatis, & mediorum variorum inclusione, non absolutè & cum istorum omnium exclusione.* V. Exod. 20. & 23. Deut. 4. & 5. 30. Jerem 18. v. 7. seq: Jac. 5. v. 14. 15. *Sic Hiskiæ oranti aucti anni*, 2. Reg. 20. *Epaphrodito*, Phil. 2. v. 27. *Impijs abrupti illi, ut Ger & Onan*, Gen. 38. v. 7. 10. *Israëlitis murmurantibus*, Num. 21. v. 6. *Ahasiæ idololatræ*, 2. Reg. 1. v. 4. 6. 16. *Pueris Eliseum eludentibus*, 2. Reg. 2. v. 24. *Sic media interdum pios juvârunt, ut Paulum*, Act. 27. v. 31. *Sine quibus interiissent.*

Ut media ergò sunt, sic destinata procedunt.

Quia per media & ordinatè Providentia DEI omnia disposuit, non Stoicè, absolutè, aut simpliciter.

CAPUT VII.

De Prædestinatione & Reprobatione.

DEcretum generale DEI *fuit*: Speciale *est*, *quod de* rationali creaturâ respectu spiritualis status ab æterno factum est, & Prædestinatio ac Reprobatio *vocatur. De quâ publicè etiam docendum, ut Christus & Apostoli*, Matt. 24. v. 22. 31. Rom. 8. 9. 10. 11. Ephes. 1. 4. 5. *Ne accendatur elatio, tepescat hortatio, aut extingvatur Oratio.* Et vox Prædestinationis *generaliter sumitur, ut electionem fidelium & reprobationem infidelium comprehendat, ut ab* Augustino, Fulgentio, Meisnero, alijs: *In Scripturis tamen non nisi in bono sumitur, & decretum ad vitam notat*, Rom. 8. v. 29. 30. Ephes. *1.* v. 4. 5. *11. Et sic hic sumetur. Estq;* Decretum DEI æternum, de salvandis in Christo fide apprehenso finaliter credentibus, gloriæ divinæ & hominum salutis ergò factum. Ephes. 1. c. l. 2. Thess. 2. v. 13.

2. *Prædestinatio* absoluta *dici potest ab operibus & meritis nostris, vel causis in nobis latentibus, è nobis eductis, DEumq; ad eligendum moventibus, Hæc enim omnia nihil in nobis fuerunt, & sic ex merâ DEI gratiâ electi sumus*, Rom. 9. v. 11. 12. seq. Ephes. *1.* v. 4. C. 2. v. 7. 8. V. C. *6.* t. *6. Ut* & ratione potestatis *faciendi decretum, quæ absoluta fuit, Cùm DEUS absolutè eligere & reprobare peccatores, quoscunq; voluisset, potuisset*: Non autem ab ordine & medio, *quod Deus largiri nobis velit, & cujus intuitu illa facta sit.* Conf. C. *6.* t. *6. Sic enim in fide electi*, 2. Thessal. c. l. *Et Christo*, Ephes. 1. *Non ut capite nostro, sic enim Christus*

eligi non potuit, cum spiritualem vitam, ut nos, nunquam amiserit: Sed ut futuro propitiatorio in sangvine ejus, Rom. 3. v. 25. *Quod per fidem nostrum fieri debet,* v. 26. 1. Cor. 1. v. 30. Ephes. 3. v. 12. Hebr. 10. v. 19. seq. *Et quos prævidit DEUS,* Rom. 8. v. 29. *Nempè futuros credere,* 1. Tim. 1. v. 16. *eos prædestinavit,* Rom. c. l. *Cumq; Scriptura nuspiam eam absolutam vocet, præstat termino abstinere, quàm uti. Nec solùm credentium* in genere *est, ordinis istorum hominum, qui ad finem usq; credituri sunt, ut* Photiniani & Arminiani *volunt: Sed & horum ac istorum* nominatim, *quorum perseverantiam DEUS ab æterno prævidens, nomina eorum in librum vitæ inscripsit,* Dan. 12. v. 1. Luc. 10. v. 20. Phil. 4. v. 3. Apoc. 13. v. 8. C. 17. v. 8. *Nec omnium hominum in universum est, ut* Huberus, Keckius, & Puccius *voluerunt, Pauci enim electi,* Matt. 20. v. 16. *Et qui electi sunt, certò salvantur,* Dan. 12. c. l. V. t. 3. *Quod paucorum hominum, non omnium, est.*

3. Immutabilis est electio, *ut electus fide finaliter non excidat, sed certò salvetur,* Dan. 12. Matt. 24. v. 24. C. 25. v. 34. *Etsi temporariè pro præsente statu eâ excidere qveat, ut ad tempus improbè vivat, fidem amittat, & Spiritum S. gratiosè inhabitantem expellat, ut* Adami & Evæ, Davidis, Petri, Salomonis, *aliorumq; exempla docent, & sic velut non electus videatur, aut privativè quidam de libro vitæ deleantur, qui nunquam illi inscripti fuerunt.* Psal. 69. v. 29. Apoc. 22. v. 19. *Angelorum autem propriè electio non est, cum boni eâ non opus habuerint, ut nec Christo Mediatore opus habent,* V. Mich. t. 36. *Mali juvari eâ non potuerint, nec debuerint.*

4. *Certitudinem electionis in fideli optimè confirmat paternus*

DEI erga omnes affectus, Ezech 18. v. 23. seq. C. 33. v. 11. Rom. 8. v. 32. C. 11. v. 32. Sap. 11. v. 24. C. 12. v. 16. Sir. 18. v. 9. seq. 1. Tim. 2. v. 4. 2. Petr. 3. v. 9. *Divinæ promissionis firmitas*, Psal 33. v. 4. Rom. 4. v. 21. C. 11. v. 29. 2. Tim. 2. v. 13. Joh. 10. v. 28. 29. *Veræ fidei specialis generalium ad sese & Individua applicatio*, Gal. 2. v. 20. 2. Tim. 1. v. 12. *Deiq; in finem usq;, nisi malitiosè obstes*, Jerem. 25. v. 3. Matt. 23. v. 37. Act. 7. v. 51. Hebr. 3. v. 8. seq. V. C. 17. t. 4. 5. *conservare volentis alacritas*, Phil. 1. v. 6. V. C. 17. c. l. *Verbi offerentis & conferentis efficacitas*, C. 2. t. 8. *Sacramentorum utilitas*, *Et precum in spiritualibus soliditas*, Luc. 11. v. 9. 10. *Vt contra Sathanam luctari, & omnes dubitationes superare fidelis possit.* Conf. C. 17. c. l.

5. *Oppositum electionis est* Reprobatio, Decretum Divinum de justè damnandis finaliter incredulis gloriosæ justitiæ DEI ostendendæ ergò ab æterno factum. *Hujus æquè Causa DEVS, ac illius*, Matt. 25. v. 41. Joh. 3. v. 36. Jacob. 4. v. 12. *Vnde ridere & gaudere in impiorum interitu dicitur*, Prov. 1. v. 26. Apoc. 18. v. 20. Deut. 28. v. 63. *Etsi proxima perditionis Causa, peccatum, ex homine sit*, Ose. 13. v. 9. Esai. 5. v. 4. 5. *Mediiq; ad damnationem, peccati, Causa DEVS non sit*, C. 6. t. 3. Absolutum *etiam hoc decretum non est, sed incredulitate determinatum. Et tàm præteritionis vel non electionis*, Joh. 3. v. 36. Rom. 1. v. 28. *Quàm reprobationis vel damnationis Causa peccatum hic est*, Joh. 3. v. 18. seq. 2. Thess. 2. v. 12. *Nec ullum justitia punit, nisi ubi priùs culpam invenit.* Sap. 12. v. 15. Confer hic C. 12. t. 5.

CAPUT VIII.

De actibus externis & Creatione.

SIc *actus DEI* interni & æterni *fuerunt*: Externi sunt, qui foràs extra DEUM prodeunt, & in aliquo extra eum terminantur, ac ex tempore de DEO denominantur. *Hi toti Trinitati communes sunt, ut modo tamen agendi, ordine, attributione, & peculiari appropriatione* uni *personæ magis, quàm alteri assignentur.* Sic Patri *Creatio, Unitas, potentia*, Filio *redemptio, æqvalitas, sapientia*, Spiritui S. *Vocatio, bonitas, & amor adscribuntur. Sic vis vocem formandi ad Iordanem toti Trinitati, clamor solius Patris proprius fuit. Sic incarnatio inchoativè Trinitatis, terminativè Filij in Trinitate fuit,* C. 4. t 4. Suntq; Creatio & Provisio.

2. Creatio est Mundi & rerum in eo ex nihilo negativo ac materiâ naturaliter ad rem inde productam prorsùs inhabili in 6. diebus à DEO productio, gloriæ divinæ manifestandæ ergò peracta. Τὸ Ex *non materiam, sed terminum, â quo cepit Creatio, notat.* Τὸ nihilum *negationem subjecti & formæ, omnisq; naturalis potestatis ad materiam, unde aliquid fiat, notat, ut nullum internum principium materiale & formale ad rem idoneum adsit, ex quo Creatio procedat. Nec materia aliqva DEO coæterna creationi coëxtitit*, ut Platonici, Pythagorici, Marcionistæ, Manichæi olim, & hodiè Photiniani *volunt. Ex μὴ φαινομένων enim Mundus extitit,* Hebr. 11. v. 2. *Et materia simùl comproducta, non jam ante data fuit,* Gen. 1. v. 1. *Immediatè ex nihilo primum Corpus, Chaos, Cœli & terræ*

seminarium, *productum*, c. I. *Mediatè cœtera omnia*, v. 3. seq;. *Quæ ex chao successivè educta*.

3. Creatio actus prædicamentalis non est, *eoq; nec immanens*, *nec transiens*. *Dicitur tamen* transiens, *quòd á DEO in aliud transeat*, *non quòd istud aliud jam sit*, *sed quòd fieri demùm*, *creando in esse induci*, *ac incipere debeat*. Possibilem DEO *esse ex Naturâ videtur:* Factam *esse ex solâ Scripturâ deprehenditur*. *Vt* Tr. d. Not. Nat. C. 3. & Michaël. t. 17. *dictum*. *Primò ad substantiam*, *ut cœlum*, *terram*, *brutum*, *hominem*, *secundò ad omnia accidentia in substantiâ terminatur*, *quæ concreata*, *non primò creata*. *Sic creato Adamo color*, *statura*, *figura ejus concreata*.

4. *In Creatione* triplex Mundi status *repræsentatur*, Productionis, Distinctionis, & Exornationis. *Primo die omnia simùl in Chao producta: Eodem & seqventibus distincta ac exornata*. *Seriem hic versus exhibet:* Lux, aër, tellus, sidera, piscis, homo. Angeli *non memorantur*, *qvia visibilium ortus describitur*, *ut ab Historico rudi populo ad captum scribente*, *non invisibilium*, *ut á Theologo aut* Pneumatico. *Primo die statim conditos ex* Job. 38. v. 4. 7. *patet*. V. Michaël. t. 17. 18. Septimus dies *qvietis fuit*, *quà à creando DEVS cessavit*, *& in operibus semetipsum*, *non ut fatigatus*, *sed ut factis suis abundanter contentus & recreatus*, *oblectavit*. Gen. 1. v. 4. C. 2. v. 2 seq. *Et ex eo Sabbathi origo ac observatio*, *etiam ante legem Mosis manavit*, *& â piis in V. T. religiosè culta fuit*, *cum ut res vetusta ac solita introducatur*, Exod. 16. v. 25. 26. *Et á DEO instituta*, *ac ab eodem sanctificata fuerit*.

5. Imago & similitudo DEI, *quæ promiscuè in Sacris sumuntur*, *etsi à* Patribus & Scholasticis *distingvantur*, *ad quam*

quam primus homo creatus, Gen. 1. v. 26. C. 5. v. 1. *in plenâ conformitate rectitudinis, sapientiæ, & justitiæ constitit*, Eph. 4. v. 24. Coloss. 3. v. 10. *Eoq́; in hoc formali prosùs amissa est, & imago hominis peccatoris successit*, Gen. 5. v. 3. *Vbi caro ex carne nascitur*, Joh. 3. v. 6. *Naturâ filius iræ*, Eph. 2. v. 3. In ruderibus articuli Creationis *adhuc superest, Vnde honestorum & turpium discrimen, notitia naturalis DEI, axiomatum naturâ notorum, Politiæ, & regiminis forma adhuc etiam apud gentes supersunt*, Rom. 1. 2. *Ex quibus se homo ad ulteriorem cognitionem promovere potest, ut* Tr. d. Not. Nat. *dictum*. Naturalis *etiam homini fuit, quia concreata fuit, naturam integram perfecit, ei inhæsit, & naturali propagatione in sobolem transferri debuit. Quomodo è contrario nunc* peccatum originis *transfertur, naturam inficit, homini jam corrupto debetur, & sic naturale homini dicitur. Potuit Adamus integer non mori, si voluit: Corruptus non potest non mori, & de facto mori eum oportet*, Gen. 2. v. 17. *In futurâ vitâ non poterit ampliùs mori. In incorruptione creatus est*, Sap. 2. v. 23. *Vt etsi mori remotè posset, propinqvè tamen non deberet, sed* DEI *custodiâ, arboris vitæ esu, vigore concreato à morte præservatus, ex hac vitâ in æternam per immutationem aliquam non mortiferam transferendus esset.*

CAPUT IX.

De Provisione DEI.

PRovisio DEI est actus externus, quo rebus per Creationem esse nactis in omnibus secundùm decretum voluntatis suæ prospicit. Dari eam

& Scriptura, Psal. 36. v. 7. Psal. 104. v. 10. Matt. 10. v. 29. Act. 17. v. 25. 28. Et natura tùm DEI, *qui omnipræsens, sapiens, & potens est*, tùm Creaturæ, *ut mundi, & in eo mirabiles eventus, directiones, pœnæ, terrores, angores conscientiæ, & similia testantur.* V. d. Not. Nat. C. 3. t. 19. 20. Estq; ordinaria & extraordinaria. Ordinaria, quæ ordinario modo *primæ rerum creationi ac institutioni convenienter procedit.* Estq; conservatio & gubernatio.

2. Conservatio est actus externus, quo universa & singula solus DEUS essendo, existendo, ac operando realiter continuat. Psal. 104. v. 106. Act. 17. v. 28. *In eâ DEI ad res omnes, motus, & vires earum* præcursus, concursus, & succursus *spectandus. Nam si hæc non essent, natura rerum concideret.* Job. 6. v. 9. C. 34. v. 14. 15. Præcursus est, *quà ante omnia Deus & Dei actus est, à quo universa pendent.* Concursus est, quo *in effectus causæ secundæ seipso immediatè & simùl cum eâ juxta cujusvis exigentiam influit, & in agendo juvat ac conservat. Est ipsa DEI volitio vel motus ejus ad motum Creaturæ ordinatus, influxus in ipsam actionem Creaturæ, comitans eam, non antecedens, aut sequens.* Concursus DEI & motio Creaturæ *simùl & una numero actio sunt, quæ à duabus causis immediatè procedit. Sic una fissio à serrâ & fissore, una sectio à cultro & sectore, scriptio à manu & calamo est.* Ad motus omnes & efficientias, non motuum ἀταξίας, deflexiones, & deficientias est. *Sic in equo claudo impulsus & incessus à naturâ, claudicatio ab equi vitio est. Ante peccatum, in eo, post illud DEUS concurrit, nunquam cum eo formaliter tali. Nec propriè Causa ejus per accidens dicendus, ut latè*

latè Tr. d. Causa per accidens *offensum*. Oppositum Conservationis destructio & annihilatio est, *DEI à conservando rei esse cessatio, quà interire eam necesse est*. Succursus est, *quo deficienti Creaturæ suppetias fert, novasq; vires aut adjumenta confert. Sic vitæ Hiskiæ 15. annos adjecit, cum aliàs ea defecisset*. 2. Reg. 20. v. 6. Conf. Dan. 10. v. 10. 13. 17. seq.

3. Gubernatio est actus externus, quo DEUS omnia in universum regit, & ad certos fines dirigit ac perducit. *Hinc rex & rector dicitur*, Psal. 29. v. 10. Sap. 7. v. 15. *Et ad omnia se extendit, nihil ut DEO indignum indè excipitur*, Exod. 21. v. 13. Prov. 16. v. 33. Matt. 10. v. 29. Sap. 7. v. 1. *Nec ab universali gubernatione Creatura se subtrahere potest, etsi speciali ordini contraire quandoq; possit*. Exod. 5. v. 2. Matth. 23. v. 37. *Tota etiam ordinata est, etsi non semper communis ordinis sit, & sæpè nobis confusa ac inordinata esse videatur. Sic mala bonos exercent, & ex venenis alexipharmaca elicere novit prudens Medicus.*

4. Estq; ordinaria, *quæ usitato ordini respondet, ut solem & hominem generare hominem*, & extraordinaria, *quæ communem Naturæ ordinem transcendit, ut in mirabilibus &* miraculis, *quæ opera DEI Naturæ vim ac modum excedentia, evidenter & singulariter facta sunt. Ut aquam in vinum momentaneè convertere, cœcis visum, claudis incessum è vestigio solo verbo restituere. Præter spem Naturæ fiunt, non præter spem gratiæ. Omneq; miraculum est mirabile, sed non mirabile statim miraculum: Nec quicquid supra naturam fit, statim miraculum est, nisi & præter naturæ ac gratiæ ordinem extraordinariè fiat. Sic justificatio, conversio, super naturam sunt, non tamen miracula, quia in regno gratiæ*

ordinariè & usitatè fiunt. Hodiè *peti nequit, nisi singulari motu ad petendum te incitari videas, & de exauditione probabilibus signis præsumas. Secùs DEVS de re non promissâ tentatur. Et verum miraculum à falso optimè modo, quo, & fine, in quem fit, discernitur.*

5. Alia item gubernatio immediata est, *Vt cum Eliam 40. diebus sine cibo servat*, 1. Reg. 19. v. 8. *Alia mediata, ut cum Israëlitas per Iosephum sustentat*, Gen. 45. v. 5. Alia Efficiens, *cum positivi quid efficit, ut cum aquam in vinum mutat, hominem è juvene senem reddit*, Et deserens, *ut cum ex vivo mori facit*: Generalis, *cum omnia simili modo & ratione gubernat, ut lex & instinctus naturalis, & Sol oritur ac occidit*; Et specialis *est, quâ intelligentem Creaturam specialiter & morali modo gubernat, ut angelum & hominem.* Hæc docendo & implendo *consistit.* Docendo, *cum voluntatem suam revelat, ut intelligens vivendi regulam habeat*, Deut. 30. v. 11. seq. Mich. 6. v. 8. *Hic legem fert, præcipit, prohibet, promittit, minatur.* V. C. 13. t. 1. 2. Implendo, *cum præstat, quod dixit.* Deut. 7. v. 9. 10. Job. 37. v. 24. *Hinc fœdus inter DEVM & Creaturam oritur, & DEVS præscribit ac implet, Creatura obsequium obstringit & paret*, Deut. 6. v. 16. *Benè agendo præmium, malè operando pœnam nanciscitur, & eo se obstringi Conscientia confitetur, ac Creaturam accusat vel excusat.* Rom. 2. v. 15.

6. Angeli gubernatio vel legis præscriptio, vel eventus inde secuti ordinatio est. Legis præscriptio *naturæ ejus concreando indita fuit, & quà essentiam eadem cum Decalogo homini præscripto est*, Exod. 20. *Vtriq; enim lex moralis concreata, & per modum habitus impressa fuit, si quædam de Conjugio, concupiscendâ alienâ uxore, victu & alimoniâ*

moniâ comparandâ ad 6. 9. 10. præceptum pertinentia eximas, quæ in angelis locum non habent: Et hominem corruptum excipias, cui magis per modum dispositionis, quàm habitus hodiè ea connascitur, ut Tr. d. Not. Nat. C. 2. *dictum.* Eventus ordinatio est, *quà in bono persistentes gratiosè confirmavit, ne ampliùs peccare queant, & æternæ beatitudinis compotes reddidit; In malum voluntario libertatis abusu descis̄centes indurari sivit, ac æternis pœnis justè ob horribilem & plenam apostasiam addixit.* 2. Pet. 2. v. 4. Judæ v. 6. *Omnes æqualiter boni ex creatione, quidam pravi ex voluntariâ corruptione facti sunt.* V. Michaël. t. 59. seq. Bonus *angelus in proprietatibus suis, effectis, & ordine,* Malus *in furore & actibus suis gubernatur, ut metas accipiat,* Job. 1. & 2. *Ac DEUM ubiq; vindicem, & pœnas hic inchoatas, in futuro seculo consummandas sentiat,* 2. Petr. 2. & Judæ c. l. Apoc. 19. v. 20. C. 20. v. 10.

7. Provisio extraordinaria est, quà extraordinariè modo à primâ rerum institutione abeunte rebus prospicitur. *Huc miraculosæ DEI actiones, directiones, & determinationes pertinent, Ut cum Eliam per corvos pavit,* 1. Reg. 17. v. 6. *Labanum à lædendo Iacobo retraxit,* Gen. 31. v. 24. 29. *Danielem inter leones, & socios in igne servavit,* Dan. 3. v. 27. C. 6. v. 22. V. t. 4. *Sic multa suæ intentioni servire cogit, quæ homines in sese longè aliter intenderunt.* Gen. 45. v. 5. seq. C. 50. v. 20. Jesai. 10. v. 6. 7. Miche. 4. v. 12. *Sic Aßyrius judicio DEI servire coactus, etsi ille longè aliud intenderat,* Esai. 10. c. l. Conf. Sap. 12. v. 27. *Sic ex passione Christi aliud ille pro suâ sapientiâ elicuit, quàm Iudæi pro suâ malitiâ intenderunt.* Joh. 11. v. 52. Act. 4. v. 28.

CA-

CAPUT X.

De hominis gubernatione.

GUbernatio hominis est, quæ circa rationalem Creaturam, qualis homo, instituitur. *Et pro triplici hujus statu tripliciter spectanda est, In* naturâ institutâ, destitutâ, & restitutâ. In Naturâ institutâ *gubernatio DEI fœdus ejus cum homine fuit, quo per obedientiam legis divinæ homo ad æternam vitam venire debuit, & si voluit, potuit, Cum sufficientes vires in imagine DEI acceperit. Opera hic non merita, sed* media, conditiones, & requisita *fuerunt, Creatura enim à Creatore strictè mereri non potest, & ex præcepto DEI jam debitum omne opus Creaturæ fuit. Debitis autem nemo strictè loquendo mereri potest.* Luc. 17. v. 10.

2. *Fœdus illud* concessione *de omni horti fructu comedendi,* legislatione morali & positivâ *de quodam fructu non comedendi, cui promissio & comminatio subjuncta fuit,* Obsignatione, *quà promissio DEI externo Symbolo confirmata fuit, Vt arbore vitæ, cujus esu homo occultâ virtute & peculiari DEI ad talem effectum elevatione diutissimè vivere potuit,* Et exploratione constitit, quà hominis obedientia externo boni maliq; experiundi signo explorata fuit, *Vt arbore scientiæ boni & mali, eventualiter ac consecutivè, non formaliter aut effectivè, ita dictâ. Ante lapsum homo ut sanctus malum tantùm theoreticè novit: Post eum boni maliq; practicum experimentum in seipso ut vivo exemplo deprehendit.* Sacramenta *autem arbores illas vocare, ut* Pareus, Wollebius, Alstedius, alijq; *volunt, nec Scripturæ*

phrasi, nec propriæ Sacramenti definitioni convenit, nec in statu innocentiæ illud locum propriè habuit. V.C.18.t.2.

2. Gubernatio hominis in naturâ destitutâ est actus DEI externus, quo circa lapsum primi hominis DEUS defunctus est. Estq; peccati permissio, hominis exploratio, facti exprobatio, & eventus ordinatio. Permissio, *quà non violenter lapsum impedivit, sed hominem libertatis voluntate sponte abusum labi sivit.* Moraliter *impedivit, quia vetuit,* Gen. 2. v. 17. Naturaliter *& violenter impedire non debuit, quia liberam creaturam libertate suâ uti voluit & permisit.* Primus *gradus infidelitas in corde concepta,* secundus *concupiscentia,* tertius *securitas, &* quartus *ad Sathanam ejusq; dicta inflexio fuit. Post farrago ingentium peccatorum successit,* omniaq; decalogi præcepta virtualiter violavit, *seq; cum totâ posteritate in temporalem ac æternam mortem præcipitavit, & quicquid mortis nomine Scriptura comprehendit. Maximum peccatum fuit* objectivè, intensivè, affectivè, & consecutivè. Naturale *fuit, non personale, totius humani generis in Adamo ut capite ac radice latentis, non unius singularis hominis.* Rom. 5. v. 12. seq. *Pari fastu uterq; homo peccavit, etsi dispari sexu: Et conditio personæ in* Adamo *ut capite ac radice major, ac Evâ fuerit, ut in illo peccatum consummatum sit. Si Sola Eva peccasset, peccatum non traductum fuisset. Causaq; peccati non DEUS, sed Sathanas voluntariè à DEO deficiens, ac invidiâ in DEum & ejus in homine imaginem flagrans, astuteq; dolum procurans, suadens, & persuadens, & libera hominis voluntas Sathanæ consentiens fuit,* Gen. 3. v. 1. seq. Sapient. 2. v. 24. 2. Cor. 11. v. 3. Rom. 5. &c.

4. Exploratio fuit, quà hominem ejusq; libertatem

tem præcepto aliquo explorare voluit, quid in eo esset, ipseq; homo vires suas experiendo cognosceret. Exprobratio, *quâ lapsum hominem ad judicium citavit, audivit, convicit, & pœnæ reum justè illi addixit.* Gen. 3. v. 9. 10. *Non ironicè irridendo, Sed justè reprehendendo, ingratitudinem demonstrando, & veritatem ac justitiam suam ostendendo.* Eventus ordinatio est, *quâ lapsum hominem in sui gloriam, hominis pœnam, deniq; & solatium ac erectionem ordinavit.* Gloriam, *nam veracitas, sanctitas, justitia, & misericordia DEI clarè hic elucent.* Pœnam, *quà & temporariè, Vt è paradiso èjiciendo, vivacitatem, sanitatem, plerumq; in Creata dominium auferendo, & æternùm æternæ mortis reum hominem statuendo punivit.* Solatium, *quo fractum Evangelii primâ promissione iterùm erexit.* Gen. 3. v. 16. *Quod dictum etsi de* Christo *explicatum in N.T. nuspiam inveniatur, passim tamen eò Apostolos intendisse certum est.* V. Act. 3. v. 25. 26. 2. Cor. 11. v. 3. 1. Joh. 3. v. 8. Hebr. 2. v. 14. Apoc. 12. v. 9. C. 20. v. 2. *Et quoties semen Abrahæ de Christo explicant*, Gal. 3. v. 16. *Etiam hoc semen mulieris implicari necessum est: Non autem totum genus humanum per semen hic cum* Calvino & Photinianis *intelligendum, nam* Gal. 3. *de Christo explicatur: Nec vocem seminis de uno homine usurpare in sacris omninò insolens est.* V. Gen. 4. v. 25. C. 15. v. 3. C. 38. v. 8. 9.

5. Gubernatio hominis in Naturâ restitutâ est, quando ex fœdere Naturæ fœdus gratiæ factum, fœderis rupturæ restitutio successit, & restituendi media pro homine lapso ex gratiâ DEI ordinata sunt. Hæc vel *in ipsâ restitutione*, vel *peccatorum in statu hoc occurrentium gubernatione spectatur.* Restitutio hominis est ex statu

statu peccati *& mortis in statum gratiæ & vitæ gratiosa reductio.* *Ea* promissione & reparatione *constat.* Promissio *est seminis caput serpentis contrituri prædictio*, Gen. 3. V. t. 4. Reparatio *est mediorum ad hominem è miseriâ liberandum divina constitutio.* *Hæc* redemptione, revelatione, & applicatione *constat.*

CAPUT XI.

De redemptione hominis.

REdemptio est totius mundi in Adamo lapsi à servitute peccati & diaboli iraq; DEI in libertatem spiritualem per justi pretii exhibitionem à mediatore Christo facta acquisitio. *Est velut reparationis nostræ actus primus:* Revelatio, repræsentatio, & applicatio *ejus velut collatio & adjudicatio, ac actus secundus. Totum mundum, hoc est, omnes homines redemptos esse universalibus notis Omnium, Universorum, totius Mundi*, Esa. 53. v. 9. Joh. 3. v. 16. 17. Rom. 5. v. 18. 19. Coloss. 1. v. 20. 1. Tim. 1. v. 15. 1. Joh. 2. v. 2. *Ac speciali etiam additione improborum, qui pereunt, Christum abnegant, & rursùs crucifigunt*, Rom. 5. v. 6. C. 14. v. 16. 1. Cor. 8. v. 11. 2. Petr. 2. v. 1. Hebr. 6. v. 5. 6. *In Sacris ostenditur, & ex antithesi lapsus patet, Cum id redimi debuerit, quod in Adamo perditum fuit*, Matth. 18. v. 11. Luc. 19. v. 10. Rom. 5. v. 12. seq. *At totum genus humanum, nullo excepto, in eo periit.* Rom. 3. v. 9. C. 5. v. 12. seq. *Ideoq; incredulos damnari oportet, quòd Christum pro se passum agnoscere nolint*, Joh. 3 v. 18. 36. *Atq; hoc à multis* Reformatis, Palatinis, Bremensibus, Anhaltinis, Salmuriensib. Hemmingio, Bullingero,

Musculo, Lud. Crocio l. 4. Theol. C. 5. hodie *agnoscitur, at* Cameron *hanc Spiritus S. vocem, hanc totius Ecclesiæ Confessionem esse ait, Christum pro omnibus mortuum esse*, in Epist. T. 3. Op. subjunctis, p. 582. seq.

2. *A Christo mediatore peractam esse* Act. 21. v. 28. Hebr. 4. v. 14. seq. C. 7. v. 22. seq. C. 8. v. 1. C. 9. v. 11. aliisq; *locis patet. Et ab origine mundi in typis, sacrificiis, & figuris V. T. redemptio ista adumbrata*, Apoc. 13. v. 8. *Vnde Christus hodiè, heri, & in secula durare dicitur*, Hebr. 13. v. 8. *Meritumq; ejus vi & efficaciâ profuit, antequam facto fuit, cum in alio nomine salus non sit*, Actor. 4. v. 12. *In novissimo mundi semel in cruce peracta est*, Hebr. 9. v. 25. 26. seq. C. 10. v. 10. seq. *Quorsùm à Deo solenniter vocatus est Christus*, Hebr. 5. v. 4. 5. C. 10. v. 7. seq. Esa. 42. v. 1. seq. *A servitute Diaboli in libertatem acquisitionem esse*, Joh. 8. v. 34. seq. C. 15. v. 15. Rom. 6. v. 6. seq. C. 8. v. 12. seq. Gal. 3. v. 13. C. 4. v. 4. seq. C. 5. v. 1. seq. Hebr. 2. v. 14. 15. & alibi patet. *Ab irâ DEI factam esse* Rom. 5. v. 9. 10. 1. Thess. 1. v. 10. Joh. 3. v. 36. *alibiq; ostenditur.*

3. Justi pretii exhibitione *factam, adeoq; verè satisfactoriam esse, eivè æquipollere, quia* Photinianis *incredibile est, patet* partìm, *Cum sangvine Christi ut pretio*, λύτρῳ, & ἀντιλύτρῳ *empti, acquisiti, & redempti dicimur*, Matth. 20. v. 28. Marc. 10. v. 45. 1. Cor. 6. v. 20. C. 7. v. 23. Gal. 1. v. 4. C. 3. v. 13. 2. Petr. 2. v. 1. 1. Tim. 2. v. 5. 6. Tit. 2. v. 14. Apoc. 5. v. 9. *Et emptio ista corruptibili auro ac argento opponitur*, 1. Petr. 1. v. 18. *Per quæ verè satisfacere, Vbi aliquid comparamus, solemus. Christus tropicè redemptus è periculis, cruce, morte*, Psal. 31. v 6 *Nos propriè à morte, Sathanâ, peccatis, irâ & judicio DEI, execra-*

tione legis, Ose.13. v.14. Rom.5.v.9. 1. Thess. 1. v.10. Tit.2.v.14. Hebr 2. v.15. *A DEO ut primario detentore & justo judice*; *A Sathanâ, ut lictore, Carcere, ut pœnâ ac molestiâ*: Partim *cum Christus ut hostia piacularis, oblatio, peccatum pro nobis, exsecratio, propitiatorium in sangvine suo sistitur*, Rom.3. v.25. Esa.53. v.10. 2.Cor.5. v.21. Gal.3. v.13. Ephes. 5. v.2. 1. Joh. 2. v.2. C.4.v.10. Hebr.9. v.14. *In quem DEus omnia nostra peccata conjecerit, quæ bajulârit in Corpore suo in cruce*, Esa. 53. v.4. seq. 1. Petr.2.v.24. *In quibus laborârit*, Esa.43.v.24. *Et pro quibus Deum morte suâ nobis reconciliârit*, Rom.5. v. 10.11. Ephes.2.v.16 Col.2. v.20. seq.

4. Partim *ex sacrificiis Veterum in V.T. Sacrificium Christi in cruce adumbrantibus, quæ typicè & adumbrativè peccata delêrunt, Deumq́ placârunt*, Hebr 8. v.5. C.9.v. 9.seq. C.10.v.1.4 seq. *Sic hircus emissarius typicè peccata populi in desertum transtulit*, Lev.16.v.21.22. *Quorum antitypum, Christi sacrificium, propriè & realiter id efficere oportuit. Omne autem sacrificium velut satisfactio aliqua ex ordinatione DEI est pro eo, pro quo offertur. Et sic cum in finem nos solvere non tenemur, Ut DEO satisfaciamus, hoc enim Christus nostri vice, loco, & bono per sacrificium suum præstitit: Etsi ut DEI jussis pareamus, promptitudinem nostram factis declaremus*. Rom.6. v. 11.12. 2. Cor. 5. v.15. *Sicq́ mors Christi etiam pro exemplo nobis fuit*, 1 Petr. 2. v. 21. C.4.v 12. seq. *Deus ut ipsa prima & summa gratiæ causa nos sibiipsi reconciliavit*, 2.Cor.5. v.19. *Sed per mortem ac sangvinem Christi, ut Causam meritoriam & impulsivam*, Rom.5.v.10.11. Ephes.2.15.16. *Qui nos DEO Patri redemit*, Apoc.5 v.9. Hebr.9.v.14. Ephes.5.v.2. *Quæ relata ac subordinata, non contraria sunt*.

5. *DEUM in peccatis remittendis imitari debemus*, Matth. 18. v. 33. *Quantum ad rem & dimittendi facilitatem, non quantum ad omnem rei modum. Sic enim & DEus non puniret peccata, ut nos non, Quod tamen facit.* Publicus enim & justus judex, *ac superior nobis est, Cujus Majestatem directè nos loesimus, eoq́ sine interveniente* λύτρῳ *justitiæ & sanctitati suæ satisfaciente offensas condonare non tenetur. Anima peccans ipsa morietur,* Ezech. 18. v. 4. 20. *in peccatis privatis & personalibus, strictoq́ jure: In publicis & totius gentis, nationis, ac status, & æquo jure, unus aliorum loco devoveri tradiq́, Et ab altero id acceptilari potest, ut historiæ Sacræ & Civiles docent. Sic* Codrus *pro Athen*. Curtius & Publ: Decius *pro Romanis*, Phileni fratres *pro Carthaginensibus se devoverunt.* Valerius M. l. 5. C. 6. *Ac mortem æternam Christus subiit, sed vincendo & superando, non succumbendo. Ut dives sponsor solvendo satisfacit, quod pauper luendo & succumbendo faceret.*

6. *Redemptio nostra maximè morte ac passione Christi completa est, unde passim sangvini Christi adscribitur,* t. 2. *Reverâ tamen* totâ etiam vitæ ejus obedientiâ *sanctè vivendo legi præstitâ perfecta est, id enim pro nobis, non pro se præstitit, Ut nobis natus & datus, non sibi est,* Esa. 9. v. 6. Luc. 2. v. 11. *Inde seipsum pro nobis sanctificare dicitur,* Joh. 17. v. 19. *Et nobis pro sanctimoniâ ac justitiâ factus est,* 1. Cor. 1. v. 30. *Nos à lege redemit,* Gal. 4. v. 5. *Et propter nos sub lege factus, est,* v. 4. *Nos enim perfectam obedientiam, quam tenebamur, præstare non poteramus,* Rom. 8. v. 3. *Eam ergò Christus pro nobis præstare debuit,* v. 4. *Per ejus obedientiam nos justi facti, ut per Adami inobedientiam injusti facti sumus,* Rom. 5. v. 17. 18. *Sic nobis pauper factus,*

Vt nos ditesceremus, 2. Cor. 8. v. 9. Totamq; exinanitionem nostri causâ suscepit, Phil. 2. v. 7. Nec merus Naturâ homo, sed & Deus Christus fuit, C. 4. t. 2. Eoq; sui causâ pro se legi non subjectus, sed Dominus Sabbathi fuit, Matth. 12. v. 8. Quicquid ergò subjectionis præstitit, nobis & nostro bono præstitit, falsoq; Pareus, Piscator, aliiq; id negant. Nos non tenemur sanctè vivere, eum nempè in finem, in quem Christus vixit, pro aliis scilicet. Tenemur tamen pro nobis obedientiam DEO præstare, & promptitudinem nostram declarare, ac grattiudinem, V. t. 4.

7. Propriè loquendo Christus sibi passione suâ aliquid non meruit, Vt Photiniani, Pontificii, & quidam Reformati, ut Zanchius, Vorstius, Ravenspergerus, volunt, Nam pro vobis venit, non sese, eoq; pro nobis meruit, non sese, t. 6. Ordine tamen aliquo passionem gloria, & humilitationem exaltatio sequi debuit, & sic per passionem gloriâ ac honore coronatus est, Luc. 24. v. 26. Phil. 2. v. 9. Hebr. 2. v. 9. 1. Petr. 1. v. 11. Ac τὸ διὸ sæpè ratiocinationis & consequentiæ est, quà unum ex altero consequitur, non causæ & meriti antecedentis, Matth. 19. v. 5. Marc 7. v. 29. Rom. 2. v. 1. 2. Cor. 4. v. 13. C. 6. v. 17. Et dolores etiam infernales in animâ sensit Christus, ac angores eos, qui supplicium desperatorum sustinentis esse possunt, Vt derelictionem â DEO, Matth. 27. v. 46. Iram & maledictionem DEI pro nobis ipsi incumbentem, reprobationem, contemptum, opprobria, Esa. 53. v. 2. 3. seq. Psal. 22. v. 7. Non quòd ipse desperârit. Et Colophon totius redemptionis ac signaculum victoriæ de morte & Sathanâ resurrectio fuit, Christi DEI hominis secundùm carnem verè mortui, vera è morte emersio, propriâ ac divinâ virtute peracta, Joh. 2. v. 19. C. 10. v. 8. Ephes. 1. v. 19. Joh. 5. v. 19.

In

In justificationem nostri, Rom. 4. v. 25. *Si enim non resurrexisset, nos adhuc in peccatis essemus*, 1. Cor. 15. v. 17. *De cœ*â Paschalia *videantur.*

CAPUT XII.

De revelatione redemptionis.

REvelatio redemtionis est actus DEI externus, quo redemptionem à Christo peractam hominibus annuntiari ac offerri jussit, & sic iteratâ fœderatione post prioris violationem se cum homine conjunxit. *Fœdus dicitur, quia firma ex parte DEI promissio est*, Jerem. 35. v. 17 seq. *Et confœderationem hominis cum DEO importat*, Jerem. 31. v. 31. seq. *Verbum vitæ & gratiæ, quia gratuita est*, Rom. 4. v. 16. Gal. 3. v. 18. *Testamentum, quia morte mediatoris sancita est*, Hebr. 9. v. 16. *Et sic fœdus Testamentarium est, cum Naturæ fœdus confœderatio tantùm esset, vitamq́ tantùm promitteret, hic & vitæ media simùl promittantur ac offerantur*, v. 6. Et C. 13. v. 7.

2. *Revelatio ista vel in revelandi modo, vel objecto revelato spectatur.* In revelandi modo vel *obscura & sub involucris*, vel *aperta & sub claris verbis est.* Obscura *in Veteri, clara in N. Test. est, ubi diversa dispensatio & revelandi ratio in utroq́ est, quæ hic Testamentum vocatur.* Non fœdus ipsum, *nec libri V. aut N. T. nec lex aut Evangelium, nec doctrina salutis nostræ, aut legis, aut diversa justificandi ratio, aut Corporalium tantùm rerum, aut nuda gratiæ in Christo promissio*, sed modus, dispensatio, & tota peculiaris revelandi, proponendi, & tradendi doctrinam legalem

lem ratio *hic testam. appellatur.* Vetus Test. est revelatio divina, quà fœdere legali per Mosen cum Judæis inito ac sangvine brutorum confirmato, felicitatem sub perfectæ obedientiæ conditione DEUS promisit, religionis formam præscripsit, *quâ Iudæi status sui convicti ad Christum ejusq; redemptionem manuducerentur.* Exod. 19. 20. Deut. 5. 6. 26. 27. Jerem. 31. Actor. 7. Gal. 3. Hebr. 3. 8. 9. & alibi.

3. *Promißiones etiam spirituales hic fuisse ipsum primum Evangelium* Gen. 3. *Quod mera spiritualia continuit,* C. 10. t. 4. *Ipsaq; antiqui fœderis forma, Ero vobis & semini vestro in DEUM,* Gen. 17. v. 7. *Quæ tàm spiritualia, quàm Corporalia complectitur,* 2. Cor. 6. v. 16. Et *Messiæ promissio, qui ad spiritualem, non corporalem vitam dandam, venire debuit, manifestè docent, Etsi spiritualia Corporalium verbis repræsentata, variisq; figuris ac umbris velata adducta fuerint, & futura prænuntiârint,* Hebr. 11. v. 13. *Sed quorum significata fidelibus in V. T. satis nota fuerunt, utpote typi & signa futurorum,* Col. 2. v. 17. Hebr. 10. v. 1. *Quæ semper aliquid significant illis, quibus typi & signa sunt: Cum N. T. exhibita ostendat, quâ ratione præstantius & melioribus promissis sancitum dicitur,* Hebr. 8. v. 6. *Melius enim est rem de facto possidere, quàm spem ad rem & futuram possessionem obtinere. In Novo Test. ipso facto jam exhibetur Messias: In Vet. possidendus speratur, repræsentatur, & typis, figuris, sacrificiis, variisq; signis adumbratur. Præstantius autem est rem ipsam obtinere, quàm rei repræsentatione contentum esse.* Vetus Ecclesia *infans, serva, Pædagogus,* Nova *Lux, hæres, & filia est,* Gal. 4. v. 1. seq. 24. seq. C. 3. v. 23. seq. Hebr. 10. v. 1. C. 11. v. 13. 39. *Vetus Test. in novo patet, Novum in*

Veteri latet. *Et in hoc ut & legali ac gratuito fœdere, t. 2. adæquata Veteris à N. Test. differentia, eaq́ substantialis & essentialis, Cum repræsentatio & exhibitio rei essentiâ, non accidente, differant, consistit.* Reliqua, *quæ à variis hic adducuntur, aliena & insufficientia sunt.*

4. Novum Testam. est revelatio divina, adumbrationes V. T. facto adimplens, & Messiæ jam exhibiti ac occisi sangvine confirmata, quà DEUS fœdere gratuito in Christo cum humano genere inito in gratiam se illud recepturum promisit, *si fide Christum receperit, & in eo ad finem perseveraverit, quorsùm gratiam suam toti mundo obtulit, & annuntiari jussit, & ex suâ parte conferre paratus fuit, ubi non malitiosè ab homine repulsus fuit.* Vox Novi Test. *Inprimis Evangelium notat: Simul tamen totam doctrinæ dispensationem in revelatione ejus adhibitam complectitur. Unde tàm legales, quàm Evangelicæ conciones â Christo & Apostolis passim habitæ,* Matth. 5. 6. 7. Rom. 1. 2. 3. 1. Cor. 5. 6. seq. Gal. 5. & alibi.

5. *Gratuitum fœdus esse, nullâ nostrâ dignitate, merito, aut prærogativâ niti,* Hos. 2. v. 19. 20. Rom. 3. 4. 6. Ephes. 1. v. 6. 7. C. 2. v. 4. seq. *ac alibi patet.* V. C. 7. t. 2. *Sangvine Christi confirmatum* Matth. 26. Hebr. 8. 9. 10. *Cum toto humano genere, nullo excepto, initum esse, partim Corruptio universalis,* C. 11. t. 2. Partim *gratia universalis super omnes homines, quà ex antecedente intentione DEus nullum perire vult, omnium miseretur,* Sap. 11. v. 24. C. 12. v. 16. Rom. 8. & 11. 1. Tim. 2. 2. Petr. 8. V. C. 7. t. 4. *Etsi ex consequente ob incorrigibilem pervicaciam incredulos justè damnari velit, & in interitu impiorum rideat,* Deut. 28. v. 63. Prov. 1. v. 26. Joh. 3. v. 18. Rom. 2. v. 4 5. Apoc.

18. v. 20.

18. v. 20. Conf. C. 6. t. 6. *Ubi causa damnationis ex homine, non DEO est*, C. 7. t. 5. Partim *universalis Christi redemptio*, C. 11. t. 1. Partim *universalis omnium hominum ex intentione DEI ad Evangelium vocatio*, Esa. 55. v. 1. Psal. 19. v. 5. Matth. 11. v. 28. C. 28. v. 19. Marc. 16. v. 5. Actor. 17. v. 30. Rom. 10. v. 18. *Etiam sæpè eorum, qui DEO repugnant*, Prov. 1. v. 24. Esa. 65. v. 2. 12. C. 66. v. 4. Zacch. 1. v. 3. 4. Matth. 23. v. 37. Luc. 14. v. 16. Act. 7. 13. 28. *Et similia docent.*

6. Vocatio universalis *in Adamo & Noacho cum familiis suis, Apostolorum tempore toti Orbi facto exhibita fuit, dum Apostolorum sonus aut sensus, fama aut notitia, prædicatio aut rumor, per totum Orbem sparsa fuerunt*, Psalm. 19. Rom. 10. *Etsi ob ingratitudinem postea quibusdam iterum subtracta, aliis non de novo restituta fuit, quod nulli DEUS debet, Ut* Tr. d. Conversione C. 6. *dicam, & sic ex eventu particularis ea evaserit, quæ ex DEI mente generalis esse debuit.* Fidem *hic requiri ex* Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Joh. 3. 5. 6. Actor. 2. 3. Rom. 3. 4. 5. *& passim patet.* V. C. 7. t. 2. *Ex quo particularis vocatio non fit, cum intentio DEI sit, ut omnes credant, fidem DEUS* è parte suâ *omnib. non malitiosè repugnantibus dare velit, eoq; toti mundo aut sono aut sensu, famâ aut præconio, Evangelium intimari fecerit. Et gratia DEI omnibus offertur: Solis credentibus & non malitiosè repugnantibus confertur.*

CAPUT XIII.

De Lege & Evangelio.

Revelatio *divina* in objecto revelato *spectata* Lex & Evangelium, *vel voluntas DEI legalis & Evan-*

gelica vocatur, cum illa propriè ad V. Hæc ad Nov. Test. pertineat. Hinc illa Mosi, hoc Christo tribuitur. Joh. 1. v. 17. Marc. 1. v. 14. *Et lex hic non in genere omnem doctrinam, ut* Psalm. 1. v. 1. *Vel legem moralem tantùm,* Rom. 7. v. 7. *Sed specialiter omnem revelationem legalem notat,* Estq; revelatio divina, quà norma agendorum ac cavendorum intelligenti Creaturæ præscribitur, & prœmium obedienti, pœnâ refraganti addicitur, ad privatum publicumq; bonum servandum. Exod. 19. 20. Deut. 26. seq. *Non ut decretum ab æterno in DEO existens, sed ut ejus expressio forâs ad Creaturam facta est, hic sumitur.*

2. Estq; insita & præscripta. Insita, quæ à Naturâ intelligenti creaturæ concreando aut ingenerando impressa est, *eoq; Naturâ duce sine instituto aut peculiari præscripto innotescit, ut notitia naturalis. Quam in angelo & homine dari* Rom. 1. &. 2. *patet, frustraq; id* Photiniani *negant. Ad omnia spiritualia naturali lumine nota se fundit, Vt* theoretica, *Vt* DEI, *quòd, quid, & qualis sit, Entis, principiorum primorum, Vt Duo verè contradicentia æternùm repugnant, Totum majus suâ parte sibi relictâ est,* Et Practica, *Eaq;* & moralia, *Vt Honestè vivendum, nemo lædendus,* Et Instrumentalia, *Vt Principia Logica, Grammatica, Poëtica: Sed non ad fidei mysteria specialiter revelata, Vt Trinitatem, Christum, Prædestinationem, Iustificationem, Sacramenta, &c. Vt pluribus* Tract. de Notit. Natural. *ostensum, Vt nec eò gentiles ducere potuit, Vt generali in DEVM fide salvarentur, Vt* Zvinglius, Papistarum ac Patrum *quidam voluerunt,* Contra Marc. 16. v. 16. Joh. 3. v. 18. 36. C. 14. v. 6. Vt latiùs c. l. C. 4. *deductum.*

3. Præscripta est, quæ peculiari DEI constitutione in-

ne intelligenti cognoscitur. Estq; universalis & particularis. Universalis, qvæ omni homini data est, ut moralis, *quæ legis Naturæ explicatio & repetitio solenniter Iudæis in Sinâ per Mosen promulgata pro æternâ ac generali vivendi regulâ est.* Exod. 19. 20. Actor. 7. v. 38. Gal. 3. v. 19. *Exceptionem aut dispensationem humanam nullam admittit: Divinitùs aliquis casus ab eâ excipi potest, in quâ legem non valere debere insinuetur. Vt in ducendâ fratriâ,* Deut. 25. v. 5. *Cætera à DEO jussa, ut Isaaci immolatio,* Gen. 22. *Ægyptiorum despoliatio, contra legem non sunt. Iacobi conjugium 2. sororum res facti est, non jussi aut approbati; Polygamia in V. T. res tolerati, non probati est.* Quà rigorem *ac maledictionem, & coram DEO justificandi rationem, in fidelibus cessat,* Rom. 3. &. 4. 8. Gal. 3. *Non doctrinam, regulationem, & obedientiam, ut* Antinomi *voluerunt, unde à Christo ac Apostolis passìm inculcatur,* Matth. 5. 6. 17. Rom. 7. & 13. Gal. 5. v. 13. seq.

4. *In 10. Verba & duas tabulas à DEO divisa est,* Exod. 32. v 15. C. 34. v. 1. 28. *Sed quot uni aut alteri verba præcisè assignanda, incertum est, & Patres variant, satiusq; de implendâ, quàm dividendâ lege homo Christianus sollicitus est.* Præfatio *propriè non præceptum, sed omnium anteambulo & exordium est.* In statu corrupto *homini plenè servatu impossibilis est,* Rom. 3. 4. 7. 8. Actor. 13. v. 28. C. 15. v. 10. Gal. 3. v. 11. seq. *Secùs enim verè ex Lege justitia foret,* v. 21. *Etsi externam pædagogiam præstare, ab enormibus vitiis abstinere, aliqua legis facere possimus, satisfacere tamen nunquam possumus. Quicquid de exemplis aut dictis, quæ in oppositum esse videntur, sit.* Quæ de cruce, exemplo & justitià Christi, *non propriorum factorum, aut can-*

dore & sinceritate, externo vitæ inculpatæ more, certâ facti specie, certi casus justitiâ, & similibus agunt, ut locorum inspectio *docet. Nec perfectiorem eam Christus in N. T. reddidit, Sed explicuit, & á corruptelis Iudæorum vindicavit, qui multa adjecerant, quæ lex non continebat, sed contraria ejus.* V. Matth. 5. 6. 7. *Vnde generaliter* Legifer *appellatur*, Esa. 33. v. 22. V. t. 6.

5. Particularis, quæ certæ genti & Politiæ data, ut Judaicæ, ut forensis & Ceremonialis. Forensis est norma Politiæ Judaicæ & civilium in eâ, *pacis & belli tempore usq; ad Christum exhibitum duratura. Vbi æquitate Naturali nititur, juris communis est, in N. T. insinuata aut commendata, aut legis naturæ conveniens determinatio est, adhuc Christianos obligare potest: Vbi ad Iudaicum forum stringit, non.* Ceremonialis norma ejusdem in Ecclesiasticâ administratione est, *typos humanæ impuritatis, & Messiæ futuri usq; ad exhibitum eum exhibens.* Exod. 25. 26. Hebr. 10. v. 1. seq. *Quo præsente mortua est, & si sub necessitate introducatur, est mortifera*, Actor. 15. v. 24. seq. Gal. 5. v. 2. 3. Col. 2. v. 16. *Ei lex de non comedendo sangvine* Lev. 7. 37. 39. Deut. 12. *additur, etsi ratio ejus æterna*, Lev. 17. v. 11. 14. *Nam & septimæ Diei Sanctificandæ ratio æterna*, Exod. 20. v. 11. *quæ tamen Ceremonialis. Ac proxima & specialis præcepti istius ratio fuit, quòd sangvis bruti in propitiationem Iudæis datus erat*, Lev. c. l. v. 11. *Quod Nos non concernit.*

6. Evangelium est revelatio divina, quà gratiosa DEI voluntas de salvandis in Christo fidelibus homini patefit, ut medium sit, quo peccator nitatur, & à peccato liberetur. *Legi contradistinctum Spiritus, & lex littera*

occidens vocatur, Rom. 2. v. 27. 29. C. 7. v. 6. 2. Cor. 3. v. 6. *Quia spiritualem gratiam ac benignitatem, ubicunq; proponitur, sive in V. sive N. T. Lex rigorem ac maledictionem non plenè servantibus, ubicunq; & illa reperitur, continet & præbet. Reliqua discrimina à mente Pauli aliena sunt. Verumq; discriminis formale in utroq; in objecto est, quòd hoc gratiæ & fidei, illa operum ac obedientiæ legalis sit*, Rom. 3. 4. Gal. 3. Conf. C. 12. t. 3. *Nec Christus propriè novus legislator, Vt* Papistæ, Photiniani, Arminiani, Anabaptistæ, *volunt, sed Explicator, Mosi contradistinctus mediator, justificator, ac fidei inchoator & consummator repræsentatur*, Esa. 61. v. 1. Luc. 14. v. 18. seq. Joh. 1. v. 17. Hebr. 12. v. 2. V. t. 4.

7. Concio pœnitentiæ *generali sensu dici potest, quòd & illa in eo requiratur, inculcetur, τῷ credere jungatur, minæ incredulis denuntientur, fidemq; requirat, quæ pœnitentiam salutarem faciat*, Matt. 3. 11. Marc. 1. Luc. 4 & 15. *Ac quà totam hominis Conversionem notat, quæ* contritione, *quæ ex lege, &* erectione, *quæ ex Evangelio*, C. 15. t. 3. *constat:* Non strictè, *ut legi contradistinguitur: Sic enim Lex contritionem jubet, incutit, efficit, peccatum arguit, terret, damnat, non* Evangelium. *Hoc propriè justitiam fidei revelat*, Rom. 1. 3. 4. *Lex obedientiam operum postulat, & peccatum arguit aut agnoscendo illud, aut contritione de eo dolendo, aut maledictionem subeundo. Legi obedientia & facere, Evangelio fiducia & credere debetur.* Et promissiones hujus *ex intentione DEI ac naturâ sui universales sunt, etsi ex eventu, vitio hominum, & per accidens particulares fiant.* C. 12. t 5. *Non sunt prorsùs absolutæ, sed fidei, ut medii, modi, & organi inclusione determinatæ*, c. l. t. 6. *Legis promissiones*

nes propriè conditionatæ, sub perfectâ obedientiâ sunt, t. 1. *Qualitas aliqua & conditio subjecti promissionem Evangelicam recepturi hic requiritur*, Fides: *Non stricta conditio ipsius vitæ & promissionis acquirendæ, ut in lege*. V. C. 4.

8. Ante Abrahamum *promissio Evangelica de Messiâ cognita fuit, ut ex* Gen. 3. *patet*. V. C. 10. t. 4. *Abrahæ autem prima promissio data*, quòd ex suo semine & familiâ, *Isaaco nempè, non alieno, ut Ismaële, per ancillam genito, ille prodire deberet*, Gen. 17. v. 19. C. 21. v. 12. *Quomodo & Davidi data*, 2. Sam. 7. v. 12. *Quâ ratione nulli Patriarchæ ante Abrahamum data*. Et præcepta à consiliis Evangelicis Papistarum sensu distinguere, quasi *hæc perfectiorum sint, commendata, insinuata, & demonstrata, non mandata, â Scripturis alienum est. Quicquid enim in bonis est, jam præceptum est*, Phil. 4. v. 8. *Et qui peculiariter â Christo vocati, aut sua negare jussi, præcepto vocati, Vt* Matth. 19. v. 21. C. 16. v. 24. Luc. 12. v. 33. Marc. 10. v. 21. *Non consilio, nec de castitate aut paupertate consilii, sed* γνώμης *& sententiæ vox adhibetur*, 1. Cor. 7. v. 24. 2. Cor. 5. v. 10. *Quâ & necessarium & mandatum contineri potest, etsi non absolutum, sed pro statu ac homine determinatum, si quis voluntatis & facultatis suæ potestatem habeat, & firmiter apud se constituerit*, 1. Cor. 7. v. 17. 37. *Nec* perfectionis ista consilia *commodè dicuntur; Cum* perfectiùs internarum cupiditatum edomatione, *mali declinatione, ad virtutem continuâ assuefactione, & quotidianâ spiritus contra carnem decertatione, quàm externâ conjugii aut divitiarum abdicatione DEO serviatur*. Rom. 6. v. 12. 29. Matth. 5. v. 29. seq. 1. Cor. 7. v. 29. Ephes. 5. v. 3. Col. 3. v. 5. *Et in conjugio ac opib. perfectè vivas, ut Abrah: Non Cœlibatus, opum abdicatio præcisè id inferet*. V. L. 2. C. 5.

CAPVT

CAPUT XIV.

De applicatione revelationis in Vocatione ad fidem & Ecclesiam.

SIc revelatio legalis & Evangelica *fuit*: Applicatio est actus DEI externus, quo redemptionem Christi revelatam ejusq; beneficia hominibus in tempore conferre & applicare incipit. *In hac videnda est* unitio, Communio, & consecutio. Unitio *est hominum ad beneficia redemptionis Christi participanda à DEO adductio.* *Hæc* vocatione *fit*, quæ est hominum ad fidem Christi & Ecclesiam aggregatio, ut cum Christo & S. Trinitate unum esse incipiant, Joh. 17. v. 11. 21. 23. Estq; Extraordinaria, *quæ modo non usitato fit. Ut in Saulo*, Act. 9. v. 3. seq. *Latrone in Cruce*, Luc. 23. v. 40. seq. *Hæc irresistibilis est*: Et Ordinaria, *quæ lentâ intellectûs ac voluntatis immutatione procedit, ut in Asiâ*, Act. 19. v. 10. *Iudæis Romanis*, Act. 28. v. 23. seq. *Hæc semper resistibilis est, & rejici ab homine per malitiosam contumaciam potest*, Esai. 5. v. 4. C. 65. v. 2. 3. Jerem. 25. v. 3. Matth. 23. v. 37. Act. 7. v. 51. *Quod & ex Reformatis* Angli, Molinæus, Arminiani, aliiq; *fatentur, ut multis* Tr. de Conversione, C. 5. *deducetur. Etsi ad eam se ex Naturâ disponere, recipere, assentiri, & converti, aut eam velle irregenitus ut talis non possit, sed gratiæ viribus hic opus sit.* Joh. 15. v. 5. Jerem. 31. v. 18. V. C. 15. t. 2.

2. *In vocatione spectandus est* terminus, subjectum, *ad quod vocatur*, & vocandi qualitas. Terminus est, *qui à DEO intenditur. Estq;* fides *in DEum & Christum.* Fides est certus revelationum divinarum cognitarum as-

sensus, divinitùs vocatione excitatus, fiduciam in Deum ut in Christo Patrem, ejusq; gratiam continens, & Sanctimoniæ studium conjungens. Cognitio, Ioh. 6. v. 69. C. 10. v. 14. 38. 2 Tim. 1. v. 12. *Assensus*, Matt. 16. v. 16. Act. 13. v. 48. C. 24. v. 14. C. 28. v. 24. *Et* alibi, *Fiducia*, Rom. 4. v. 19. seq. 2. Cor. 3. v. 4. Eph. 3. v. 12. Hebr. 6. 10. & 11. *exprimitur*, *quæ à DEO sunt*, Ioh. 6. v. 24. Rom. 10. v. 14. 17. *Ac speciales fidelium ad sese applicationes*, *Vt* Psal. 103. v. 3. Luc. 18. v. 13. Rom 8. v. 38. 39. Gal. 2. v. 20. 1. Tim. 1. v. 15. 2. Tim. 1. v. 12. C. 4. v. 8. *docent*, *quibus communia fiunt propria*, *& ex generalibus Individualia*, *frustraq; id* Papistæ *quidam* alijq; *negant*. *Breviter*, est notitia assensu & fiducià adstructa, & sanctimonià ut fructu illustrata. *De eâ, ut praxis in homine est*, L. 2. C. 2. *plura dicentur*.

3. *Subjectum ad quod vocatur*, Ecclesia *est*, Cœtus ad fidem vocatorum, eamq; profitentium, Sacramentorum administratione ritè utentium, & sic DEUM rectè colentium. *Vocans hic DEus, Christus, & utriusq; Spiritus est*, Matth. 20. v. 1. 1. Cor. 1. v. 9. Heb. 3. v. 4. 6. *Homines ministri tantùm sunt*, c. I. v. 5. 1. Cor. 3. v. 5. *Nihil eorum, quæ Christus instituit, aut Ecclesiæ concessit, immutare, abrogare, dispensare, sed explicare, confirmare, promovere possunt. Nec ut in Politiam se homines, sic & in Ecclesiam aggregare possunt.* Invisibilis *dicitur ratione fidei, spei, devotionis, & internæ professionis, quæ soli DEO nota, & paucitatis, ad quam interdum redigitur, ut cœtus homini vix conspicuus sit*, 1. Reg. 19. v. 10. seq. Luc. 12. v. 32. Rom. 11. v. 3. seq. *Et hinc Ecclesiam credere in Symbolo dicimus, non videre. Fides enim non visibilium est*, Hebr. 11. v. 1. Visibilis *ratione cœtus, externæ professionis*,

sionis, gubernationis, Sacr. administrationis, publici exercitii & disciplinæ. Diversus unius Ecclesiæ status ac respectus, non diversa species, hæc distinctio propriè est.

4. Administratio Ecclesiæ est, quà ordinatè cœtus ille ad finem suum gubernatur. In Capite suo *Christo, Monarchica, Vnum enim Ecclesiæ Caput, Christus est,* 1. Cor. 3. v. 11. Ephes. 1. 4. & 5. Colos. 1. v. 18. C. 2. v. 10. 19. *Vicarii externi, aut temporarii capitis, Vel Oecumenici & visibilis in terrâ post Christum Pontificis, quale* Pontifex R. *nulla Scriptura meminit, nec Christus hierarchiam, sed hieroduliam & ministerium commendavit,* Marc. 10. v. 13. Luc. 22. v. 24. Ephes. 4. v. 11. 12. *Se ut ministrum ac servum, non principem, imitandum proposuit,* Matth. 20. v. 18. Luc. c. l. Joh. 13. v. 14. seq. *Consequenter id ad fidem non pertinet, & uni mero homini regimen totius Ecclesiæ in terris impossibile est, nec* Petro *tale officium commissum, aut ab eo usurpatum fuit, qui se Conseniorem vocat,* 1. Petr. 5. v. 1. *Et cum aliis Apostolis ad ordinandas Ecclesias profectus est,* Gal. 2. v. 7. 8. *In membris sub capite Aristocratica, & ex parte Democratica est, Vt* partim *Christi institutio,* partim *Apostolorum & proximorum post illos* Patrum *praxis, priscæq; Ecclesiæ 3. seculorum primorum exemplum docet.*

5. Triumphans Ecclesia *etsi jam existere à* Photinianis *negetur: Parabola tamen Christi de epulone,* Luc. 16. v. 22. *Et Iohannis visio,* Apoc. 7. v. 9. *Aliaq; mortuos statim à morte beatos dicentia,* Sap. 3. v. 1. Luc. 23. v. 43. Phil. 1. v. 23. Apoc. 14. v. 13. *contrà sunt.* Militans *etsi in paucitatem redigatur, t. 3. Tota tamen non deficit, ut iidem &* Arminiani *volunt, Promissioni enim Christi,* Matth. 16. 18. 28. *Electorum infallibilitati,* Matth. 24. v. 24. *Et regni*

Christi, quod Ecclesia, interminabilitati, Dan 2. v. 44. Luc. 1. v. 33. *hoc contravenit. Angeli autem nec ad militantem, non enim ad fidem vocati*, t. 2. *Nec triumphantem, non enim hic militaverunt, propriè pertinent, Vt* Tr. d. Commun. Sanctorum dicetur. Nota veræ Eccles. adæquata & tutissima, *vera verbi prædicatio, & pura Sacram. administratio est, nec distinctè veram Ecclesiam nôris, nisi ante ista cognôris, nec illam habebis, nisi ex his cognoscenda anteposueris.* Reliquæ *qualescunq; inductiones, præsumptiones, externæ denotationes, aut accidentales affectiones esse possunt, ut nomen Catholicum, Antiquitas, miracula, &c.* Deniq; *Vocandi* Qualitas est forma ac ratio mediorum, *quibus* DEus *Christum applicare solet. Vt ordinaria & extraordinaria, resistibilis & irresistibilis.* t. 1. *Vniversalis & particularis, quæ interdum ex eventu talis est*, C. 12. t. 5. 6. Et alibi.

CAPUT XV.

De Conversione, Regeneratione, Justificatione.

FVit unio & vocatio: Communio est actus externus, quo Spiritualiter homo in Christum transfertur, ut jus ad benedictiones in Christo præparatas acquirat, 1. Joh. 3. v. 24. C 5. v. 12. *Spectatur* vel *in præparatione*, vel *actuali insitione*. Præparatio in Conversione, Regeneratione, & Justificatione *consistit, quibus homo è statu malitiæ in statum justitiæ reformatur, priusquam plenè, ut Spiritualis palmes, Christo inseratur.*

2. Conversio est actus externus, quo homo in agnitione immutatur, ex lege contritio, Evangelio fiducia gratiæ ac erectio concitatur, ut vita in melius

mutetur,

mutetur, & fructus pœnitentiâ digni proferantur. *Interdùm pœnitentia dicitur, interdùm ab eâ distinguitur: illa n. hominis, hæc DEI actus est.* V. Tr.d. Conv. C.1. & 11. *dicam. DEI actum esse,* Jerem. 31. v. 18. Tren. 5. v. 21. Ezech. 36. v. 26. Psalm. 51. v. 2. 2. Tim. 2. v. 25. *patet, non hominis,* Vt Pelagiani, Pontificii, Arminiani, Photiniani, *& similes volunt, Principium enim, medium, finis hic totum DEI est,* V. C. 14. t. 1. *Etsi homo* obstacula quædam, *ut malitiosam pertinaciam, supinum contemptum, affectatam ignorantiam, irrisionem,* removere, externam pædagogiam præstare, *verbum legere, audire, & meditari velle, studium in eo ponere, Cultum DEI naturalem ex Notit. Nat. haurire, ex eo in famam de Ecclesiâ & speciali revelatione devenire, eam ultrà inquirere, & similia agere possit,* Marc. 6. v. 20. Actor. 17. v. 27. C. 24. v. 24. C. 26. v. 28. C. 28. v. 22. Vt Tract. de notit. natural. C. 4. t. 12. seq. *dictum. In quo à trunco, lapide, cadavere, & similibus homo differt. Nam subjectum* ἄεργον & ἄχρηστον *quidem, non tamen* ἄλογον & ἄψυχον *est:* Ad ipsam tamen internam conversionem, illuminationem, mentis mutationem, nihil activè de suis viribus conferre potest, *sed totum hoc gratiæ prævenientis, Cooperantis, efficientis, & subsequentis est, & si hic homo in progressu cooperatur ac adjuvat, novis viribus instructus id facit, non naturalibus.* V. Jerem. 13 v. 23. Matth. 16. v. 17. Joh. 6. v. 43. C. 15. v. 5. Rom. 8. v. 6, 7. 1. Cor. 2. v. 14. C. 4. v. 7. 2. Cor. 3. v. 5. Ephes. 2. v. 1. C. 5. v. 14. Colos. 2. v. 13. Phil. 2. v. 13. Vt Tract. de Convers. hominis *latiùs deducetur.* Subjectum convertendum est homo, *non propriè ulla causa, inchoans vel cooperans, quantum ex Naturæ vi spectatur.*

3. Instru-

3. Jnstrumentalis causa Verbum DEI & ministerium est. *Verbum efficaciam habet*, C. 2. t. 8. *Quæ hic in efficientiam vertitur, & lege conteritur, Evangelio erigitur homo convertendus*, t. 2. *Non ex congruentiâ aliquâ rerum ad intellectum & voluntatem, aut immediatâ virtutis in intellectum effusione, aut irresistibili gratiâ*, C. 14. t. 1. *Physicâ voluntatis prædeterminatione, Liberâ ejus receptione, gratiâ quadam ad prædestinationem congruâ. Verbum id agit, quà tali loco, tempore, occasione, temperiei hominis convenienter prædicatur*: Sed ordinariâ Spiritus S. virtute Verbo inditâ vel additâ, *quà illa gratia omni audienti confertur, Vt divinæ operationi possit homo non morosè resistere: Quod si fiat, majores motus DEVS in animo concitabit, Vt successivè viator convertatur.* Estq; ordinaria, *quæ lentâ intellectus ac voluntatis per verbum immutatione, & virium concessione constat, ut hodiè*, Et extraordinaria, *quæ celeri impulsu ac in melius mutatione absolvitur, Vt Pauli, Latronis in cruce, auditorum Petri*, Actor. 2. v. 37. seq. V. C. 14. t. 1. *Quæ de pœnitentiâ, ut actus humanus est, hic disceptantur*, L. 2. C. 5. t. 8. tradentur.

4. Regeneratio est actus externus, quo homo caro de carne natus, de spiritu spiritus per Verbum regignitur, Carnalis esse desinit, nova creatura fit, & consequenter in filium DEI adoptatur. Ezech. 36. v. 26. Joh. 3. v. 6. 8. Gal. 6. v. 15. 2. Cor. 5. v. 17. 1. Petr. 1. v. 22. 23. C. 2. v. 2. Jacob. 1. v. 18. *Quoad* rem, *subjectum, & tempus, ipsa justificatio & adoptio est: Quoad* formalem *rationem, distinctum ordinem, & fines, regeneratio præcedit, justificatio & adoptio sequitur. Per regenerationem & justificationem, ac ex eâ adoptio est: Non ex adoptione regeneratio,*

generatio, vel justificatio est. Antecedere enim hæc oportet. A renovatione *differt* ordine, *Vt prius à posteriore, Prior enim arbor, quàm fructus, & vita, quàm motus:* Agendi modo, *qui hic solius DEI, in renovatione etiam hominis regeniti novis viribus jam instructi,* t. 2. Qualitate, *Regeneratio enim perfecta est, & perfectè filij DEI simus: Renovatio imperfecta, particularis, & incompletè sancti evadimus: Et formâ, Illa mortui in statum vitæ translatio, Hæc jam vivificati per dona nova uberior exornatio est, Vt fructus vitâ dignos edere possit. Illâ vivere, hac agere & se exserere incipit. Maleq;* Papistæ, Photiniani, Weigeliani, Svencfeldistæ, *aliiq; hæc confundunt.* Conf. Misc. Theol. p. *1.* t. 1.

5. *Regeneratio unionem nostri cum DEO & Christo facit, sed non essentialem, Vt* Fanatici, Weigeliani, Suencfeldistæ, Paracelsistæ, Methistæ, Stiefelistæ, Rosæcrucij *volunt,* V. C. 23. *Verùm mysticam & spiritualem, Nec Christum per eam spiritualiter ex nobis nasci, ac animæ nostræ fructum esse dicendum est, ut quidam. Nos enim ut palmites in Christo & ex ipso regeneramur, vivimus, nutrimur,* Joh. 15. v. 1. seq. Rom. 6. v. 3. 5. 2. Cor. 5. v. 17. *Non ipse ex nobis. In nobis gignitur & figuratur,* Gal. 3. v. 1. C. 4. v. 19. *Non ex nobis. Nec ille semen est, ut nascatur, sed seminator,* Matt. 13. v. 37. *Verbum est semen, ex quo nos nascimur,* C. l. v. 19. Luc. 8. v. 11. 2. Pet. 1. & Iacob. 1. V. t. 4. Conf. Natalit: t. 29.

6. Iustificatio est actus externus, quo peccatorem non in peccato malitiosè perseverantem ex gratiâ in Christo & ejus merito per fidem à peccatis absolvit, & pro justo realiter in judicio suo reputat. *Breviter: Est gratuita peccatorum ob Christum remissio.* Forensem

istius

istius vocis hic sensum esse Matt. 12. v. 37. C. 18. v. 27. 32. Rom. 5. v. 16. C. 8. v. 33. 34. *patet, & omnia ejus requisita hic sunt, Vt* reus, judex, Actor, testis, tortor, Pœna, advocatus, tribunal, &c: *Ac Oppositum ejus condemnare, id docet, quod non malitiæ habitum infundere, sed peccatorem ob peccata justâ sententiâ merito supplicio addicere hic notat. Multiq;* Patres ac Pontificij *hoc confitentur. Interdùm vox justitiæ pro sanctitate inhæsivâ sumitur,* Luc. 1 v. 6. Rom. 6. v. 18. 19. *alibiq;: Sed in justificatione nostri coram DEO non ita, nec sanctitate nostrâ ibi consistere possumus,* Psal. 143. v. 2. Rom. 4. v. 2. 1. Cor. 4. v. 4. Phil. 3. v. 9. Tit. 3. v. 5. seq. *Sed justitiâ fidei, non operum, hic opus est, credere, non operari requiritur, & in justificando perpetuò hæc opponuntur,* Rom. 3. v. 25. 26. C. 4. v. 5. 6. seq. *Et* v. 24. Gal. 3. v. 12. seq. *Etsi in justificationis coram hominibus ostensione,* Jac. 2. v. 18. seq. *Et sanctificatione perpetuò conjungantur.* 1. Cor. 6. v. 11. Esai. 1. v. 16.

7. *Nec* gratiæ vox *hic habitum, aut donum infusum, aut acceptum quid, aut meritum vel præmium, sed gratuitum DEI favorem notat, quo in Christo omnes complecti vult, & credentes facto complectitur, ac peccata ipsis remittit,* Rom. 3. 4. 5. 6. seq. Ephes. 2. Gal. 2 3. 4. Tit. 3. *Vt meritum omnisq; gloriatio exclusa,* Rom. 3 4. Ephes. 2 v. 9 *Soliq; DEO gloria relinquatur, Quomodo & in puncto electionis sumitur, multiq;* Papistæ *id confitentur, Vt* L. 2. d. fid. Christ docebo.

8. Fides in justificando est organon, quo gratiam illam in Christo recipimus, applicamus, appropriamus & remissionem peccatorum accipimus, Act. 20. Rom 3. 4. 5. 6. Gal. 2. 3. Ephes. 2. *Sed non* generaliter sum-

pta

pta, *prout notitia & assensus in omne DEI verbum se fundens est*, sed ut specialis fiducia *gratiam redemptionis in Christo à DEO in Evangelio oblatam & collatam respicit, recipit, & sibi appropriat*, Joh. 3. v. 16. seq. Actor. 4. v. 12. C. 10. v. 43. V. C. 14. t. 2. *Cujus objectum primarium DEus & Christus est*, Joh. 14. v. 1. Hebr. 12. v. 2. 1. Petr. 1. v. 21. *Vnde Christus passim ut absolutum credendi objectum memoratur*, Actor. 3. 13. 16. 26. Ephes. 1. Coloss. 1. Philem. v. 5. Hebr. c. 1. Secundarium *omnis divina veritas sub veri ac boni ratione apprehensa est. Falsum enim hic subesse non potest. Nec fiducia timorem filialem tollit*, Rom 6. v. 1. 2. Phil. 2. v. 12. 1. Petr. 1. v. 17. *Sed servilem*, Rom. 8. v. 15. 2. Tim. 1. v. 7. 1. Joh. 4. v. 18. *Et justificat fides objectivè ac organicè, per modum instrumenti promissa DEI specialia in Christo apprehendentis & appropriantis, non effectivè & meritoriè, per modum producentis aut acquirentis. Deus remittit, Christus meruit, fides accipit, caritas & opus ostendit, Spiritus S. confirmat*. 2. Cor. 1. v. 22. C. 5. v. 5. *Et sic credere ad justitiam imputatur*, Rom. 4. v. 5. 24 Phil. 3. v. 9. *Non justitiam per illud homo promeretur. Impius non talis manens, sed desistens, justificatur: Impius desinit, & justus esse coram DEO incipit.* Sola fides *in actu justificandi valet: Sed solitaria à Sanctimoniâ ejusvè studio nunquam existit. Sic solus oculus videt, non tamen à corpore avulsus & separatus. Vnde* conditiones subjectorum *interdùm requiruntur in justificatis*, Hebr. 12. v. 14. Et dispositiones *in justificandis, ut à malo desistant, contritis sint, non causæ acquirendi, aut merita de congruo vel condigno, quæ apud DEVM homini propriè nulla sunt aut esse possunt*, V. L. 2. C. 1.

9. Divisio justificationis nulla est, *cum infima species*

cies sit, & numero tantùm in subjectis differat. Secunda justif. malè conservatio & continuatio ejus dicitur, Velut cum vitæ continuationem vitam secundam dicas, quæ propriè unica est, aut rei ostensionem rem secundam voces. Ex statu temporum *in justif. V. & N. T. dividi queat.* Illa, *quæ fide in Christum venturum facta*, Hæc *quæ in exhibitum fit, etsi utraq; fide in Christo consliterit. Sed accidentalis est divisio, non essentialis, generis in species, vel similis.*

CAPUT XVI.

De Unione cum Christo & adoptione.

SIc Præparatio communionis *fuit: Sequitur* Communio & adoptio. Communio in unione cum Christo consistit, quæ est mystica credentium cum DEO & S. Trinitate per Verbum & Sacramenta in tempore conjunctio, quà vivificam Christi virtutem participantes ei ut Spirituali viti inseruntur, *& ad serviendum DEO ac proximo Spiritualiter apti reddun- tur.* V. Joh. 6. v. 23. seq. C. 14. v. 23. C. 15. v. 1. seq. C. 17. v. 21. 23. 1. Cor. 10. v. 17. C. 12. v. 13. Gal. 3. v. 22. C. 2. v. 20. *Realis, verissima, arctissima, & solidissima est, non tamen essentialis, ut* Fanatici *volunt, Sed mystica & spiritualis. Essentialis enim Physica, naturalis, usitata, nota & obvia est, qualis hæc non. Et nos Spiritu in unum Corpus baptizati sumus, non essentiâ & naturâ,* 1. Cor. 12. v. 13. *Natura in Nobis servanda, non separanda aut evertenda est.* V. C. 15. t. 5. *Et Christus in fidelibus, ut Pater in Christo,* Joh. 17. v. 21. *Non æqualitate, sed similitudine est. Nos in Christo, ut palmites in vite, Spiritu,* 1. Cor. 6. v. 17.

6. v. 17. *Non autem essentiâ aut essentiali communione. Effectum ejus est adoptio. De Communione cum DEO pluribus* Tr. d. Comm. Sanctor. C. 4. *dicetur.*

2. Adoptio est actus DEI externus, quo homo justificatus per fidem in filium DEI & jus Spiritualis hæreditatis, beneficia ac gloriam Christi recipitur, ac hæres DEI & cohæres Christi evadit, Joh. 1. v. 12. Rom. 8. v. 17. Gal. 4. v. 7. 1. Joh. 3. v. 1. Hinc ex DEO nati, Joh. 1. v. 13. 1. Joh. 3. v. 9. 10. C. 4. v. 7. C. 5. v. 14. 18. *Divinæ naturæ Consortes*, 2. Petr. 1. v. 4. *Domestici & primogeniti DEI*, Hebr. 12. v. 23. *Membra Corporis Christi, & caro de carne ejus*, t. 1. *vocantur. Christus primogenitus est singulari modo, ut naturalis DEI filius, & hæres omnium*, Psal. 2. v. 8. Hebr. 1. v. 2. *Nos ut in ipso adoptati per spiritualem ad ipsum insitionem.* Adamus *filius DEI per Creationem*, Christus *per utramq; generationem*, Nos *per adoptionem*, Angeli *per confirmationem, & spiritualem essentiæ conformitatem sunt. Ab humanâ adopt: subjectis, formis, bonis, fundamentis & finibus differt, qui hic æterna hæreditas*, Gal. 3. v. 4.

3. Medium *& organon ad eam fides est*, Joh. 1. v. 12. *Non mortificatio carnis, quæ adoptatos sequitur, non facit, ut* Weigelius *vult. Qui carnem mortificat, eum Spiritu renatum & immutatum jam esse oportet*, Rom. 8 v. 13. 14. 2. Cor. 4. v. 10. Effectus *est non legis impletio, ut* Idem, *quæ & renato & adoptato impossibilis*, C. 13. t. 4. *Nec ut homo DEus & contrà fiat, Hoc enim de solo Christo Scriptura asserit*, Joh. 1. Rom. 9. Heb. 1. *Sed Spiritus testificatio*, Rom. 8. 2. Cor. 1. & 5. Ephes. 1. Gal. 4. *Christiana libertas à Servitute & maledictione legis*, Joh. 8. Rom. 8. Gal. 4. 5. *Et Spiritualis dignitas Sacerdotalis, Regia, ac Prophetica*, 1. Petr. 2.

v.9. Apoc. *1.* v. *6.* *Vt & omnium beneficiorum, passionum, ac gloriæ Christi communio*, C. 17. t. 3.

CAPUT XVII.

De Consequentibus adoptionis, Sanctificatione, Sanctorum Communione, Confirmatione.

ADoptionis Consequentia sunt Sanctificatio, Sanctorum Communio, Confirmatio, Obsignatio, & Glorificatio. Regeneratio, *Iustificatio & Adoptio Christum ut donum, Sanctificatio ut exemplum spectat.* Sanctificatio est actus DEI externus, quo adoptatus Sanctis qualitatibus gratuitò exornatur, & ad bona opera præstanda aptus redditur; Ut corpus & membra sua hostiam vivam, & arma justitiæ DEO ministret. Lev. 20. & 22. Deut. 30. v. 6. Ezech. 36. v. 26. Rom. 6. v. 11. C. 8. v. 12 seq. C. 12. v. 1. Ephes. 2. & 5. 1. Thess. 5. v. 23. *Dicitur &* Renovatio. Nova vita *fide tanquam principio vitæ communicatur:* Nova qualitas *virium immutatione, Vt principio, & immediatè fidem sequitur. Vnde à regeneratione differt*, C. 15. t. 4. *Mutatur hic homo à labe & turpitudine peccati, ut termino à quo*, 1. Cor. 6. v. 9. seq. 2. Cor. 7. v. 1. Ephes. 4. v. 22. seq. *Ad terminum ad quem, qui puritas imaginis divinæ est, quorsùm renovari debemus.* Ephes. 4. v. 24. Rom. 12. v. 2. Coloss. 3. v. 10.

2. *Ex partibus suis* in mortificationem & vivificationem *dividitur.* Mortificatio est actus, quo peccatum absumitur, & vetus homo cum concupiscentiis suis crucifigitur, Rom. 6. v. 6. 12. Coloss. 3. v. 5. 2. Tim. 2. v. 26. Vivificatio est actus, quo imago DEI restituitur, *puritas & gratia inhærens inditur, & novus homo cum fructibus*

bus suis enascitur, Rom. 6. v. 4. seq. C. 8. v. 11. seq. C. 12. v. 2. Ephes. 4. v. 24. Conf. L. 2. C. 1. 2. 3. Et C 5. t. 6. Ex gradibus inchoata, *ut in hac vitâ est, ubi volentibus benè agere malum adjacet,* Rom. 7. v. 21. *Et in multis omnes labimur,* Jac. 3. v. 2. Ac consummata est, *quæ in alterâ vitâ obtingit, unde plenæ ætati assimilatur,* 1. Cor. 13. v. 11. 12. Ephes. 4. v. 14. Phil. 3. v. 12. Adjuncta *ejus convenientia cum regeneratione ac justificatione, & differentia ab iisdem sunt.* V. C. 15. t. 4.

3. Ex *justificatione, adoptione, & sanctificatione* status *nascitur,* qui Communio Sanctorum *appellatur. Quanquam vox etiam actum participandi quandoq; notat.* Communio ista est communio spiritualis, quâ fideles per Verbum & Sacramenta efficaciâ Sp. S. cum DEO, S. angelis, & inter se, sacrarum rerum spirituale consortium, possessionem, ac usurpationem habent, *eamq; sedulò in salutem Ecclesiæ exercent, donec ad societatem in cœlestibus ex hac vitâ transferantur.* Rom. 12. v. 12. 1. Cor. 1. v. 9. 2. Cor. 13. v. 13. Phil. 1. v. 7. C. 3. v. 10. 1. Joh. 1. v. 3. 6. Hebr. 10. v. 33. 2. Petr. 1. v. 4. Subjectum *ejus est homo fidelis, sive permanens in fide, sivè deficiens.* Finis *salus & perfectio hominis,* Hebr. 12. v. 22. 23. 1. Petr. 1. v. 4. Ex specibus externa, *in ordine, ritibus, & decoro Ecclesiastico,* Et interna, *in interiore gratiâ, influxu, passionibus Sanctorum, omnibusq; DEI beneficiis est. Sic* partim *cum DEO, Patre, Filio, & Sp. S. Partim cum S. angelis,* Hebr. 12. v. 22. Partìm *cum sanctis inter se, iisq; vel viventibus, vel defunctis est.* Ex gradibus *inchoata & consummata, plenior & semiplenior est.* V. t. 2. *Vt latè* Tract. de Communione Sanctorum *deducetur,*

4. Con-

4. Confirmatio est actus externus, quo adoptatos DEUS in gratiâ confirmat, ut in eâ persistant. Estq; Conservatio & Obsignatio. Conservatio, *quà ex parte suâ eos in gratiâ per media ordinaria, Verbum & Sacramenta, ad finem usq; vitæ conservare nititur, & conservat, etsi ex parte hominis malitiosè ille ab eâ excidere, & Spiritum S. expellere possit.* Joh.17.v.11.12. Phil.1.v.6. 1.Theff.5.v.23. 2.Theff.3.v.3. 2.Tim.1.v.12. C.4.v.18. 1.Petr.1.v.5. *Hominem excutere eam posse*, partim *exhortationes & comminationes*, Actor.11.v.23. C.13.v.43. C.14.v.22. Gal.3.v.3. C.5.v.4. Coloff.1.v.23.C.2.v.7. 2.Tim 2.v.12.13. 1.Pet.1.v.5.2.Pet3.v.17. Hebr.3.v.12.seq. Partim *exempla, ut Adami, Davidis, Salomonis, Hiskiæ, Galatarum*, Gal.3.v.1.seq.C.4.v.19. Demæ, 2.Tim.4.v.10. *In Spiritum S. peccantium, qui reverâ illuminati & fideles fuerunt, rursumq; Dei filium sibi crucifigunt*, Hebr.6.v.4.seq.C.10.v.26.seq. *Palmitis in Christo non manentis*, Joh.15.v.2.6. *In Scripturâ contenta docent.* Ex parte suâ *DEUS fidelis est*, Rom.11.v.29. 1.Cor.1.v.8.9. *Sed homines sæpè fidem non servant.* Col.1. Hebr.3. *Et nos à parte nostrâ in fide fundatos, stabiles permanere, nec â spe Evangelii dimoveri oportet*, Colos.1. Hebr.3. 2.Joh.v.8. *Nec ob id fortior DEO homo erit. Non enim DEUS absolutâ potestate operari vult, Quomodo nihil ei resistet*, C.5.t.2. *Sed ordinatâ, Cui resisti ab homine posse*, C.14.t.1. *dictum*. Conf.C.7.t.4. *Pluribus* c.l.C.2. Et Tr.de Conversione, C.10 t.9. & C.11.t.6. *de hoc dicetur.*

5. Conservatio vel defensio est, *Cum contra omnes hostes DEUS fideles tutos præstat*, Psal.27.v.1.seq. Psal.91.v.4.seq. Vel Liberatio, *Cum eos è variis periculis eripit*,

eripit, Vt spiritualiter ipsis nihil noceat, etsi temporariis calamitatibus involvantur, Psal. 18. v. 1. seq. Zach. 3. v. 2. seq. Vel Continuatio, *Cum in salute eos continuat, Vt ex parte* DEI *inde excidere non debeant, etsi ex parte sui sæpè excidere queant*, t. 4. *Et de eâ ipsos certos reddit, pignusq; Spiritum S.* 2. Cor. 1. v. 22. C. 5. v. 5. Ephes. 1. v. 14. *Cordibus immittit*, Rom. 8. v. 16. 1. Cor. 2. v. 12. Vel accessoriorum bonorum elargitio, *Cum temporalia ut vitæ adjumenta pro arbitrio suo ac salute fidelium fidelibus adjicit*, Deut. 27. 28. 1. Tim. 4. v 8. *Vt animi, Corporis, & fortunæ bona, Quæ naturâ sui indifferentia, usu aut abusu possidentium bona vel mala in foro spirituali reddi possunt.*

CAPUT XVIII.

De obsignatione per Sacramenta, & primò Veteris Testamenti.

OBsignatio est actus DEI externus, quo adoptionem certis sigillis externis & ritibus fidelibus obsignat, & de gratiâ spirituali certos reddit. Rom. 4. v. 11. 2. Cor. 1. v. 22. *Interna obsignatio est ipsa Confirmatio & certificatio*, C. 17. t. 5. *Sed hæc per exteriores ritus fit, qui* Sacramenta *voce Ecclesiasticâ antiquâ classicèq; receptâ dicuntur, etsi Scriptura vocem non adhibeat. Ea etsi actus ab homine expediendi sint, & sic ad* Lib. 2. *pertineant: Quia tamen per illos* Obsignatio, actus divinus, *Cujus illi proxima media sunt, expediri debet, & hic ad essentialem Sacramenti finem pertinet, multaq; de illis, eorum vi, efficaciâ, agendi modis, cognosci oportet, quæ à nobis ita agi non possunt, rectè* & hic Tractatio eorum *attexitur.*

2. Sacramenta ſunt actus externi divinitùs inſtituti, quibus ſub viſibilibus ſubſtantialibus elementis inviſibilis gratia Evangelica fidelibus communicatur, & jam adoptatis obſignatur ac augetur. Ritus & actus externos eſſe inductio Sacramentorum, *quæ citra controverſiam talia, Vt Circumciſio, Agnus Paſchalis*, Baptiſmus, *& Cœna, docent, omniaq́ verbis actum ritumq́ notantibus inſtituuntur, deſcribuntur, & repræſentantur, ut per* ſigna aut inſtrumenta, *tanquam genera, ut* Patres, Pontificii, Reformati, & Photiniani *quidam, definiri non debeant, etſi ex fine & effecto ſigna organaq́ eſſe, verè ipſis competere poſſit*, Vt t. 3. 4. *patebit. Divinitùs inſtituta eſſe ſpecies eorum, Circumciſio*, Gen. 17. *Agnus Paſchalis*, Exod. 14 *Baptiſmus*, Joh. 4. v. 12. Matth. 28 v. 19 *& Cœna*, Matt 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. *docent. Ejus enim eſt Sacramenta inſtituere, cujus Sacramentalem gratiam offerre & conferre eſt, quod ſolius DEI eſt. Viſibilia elementa in quovis Sacramento expreſſa ſunt.* V. c. l. *Accedit enim Verbum ad elementum, & fit Sacramentum, non Verbum conſecrationis Papi: præciſè, ſed* benedictionis, *elementorum ab uſu communi ſeparationis, & ad myſticum translationis, ac ſalutaris populi Eccleſiaſtici inſtructionis & inſtitutionis.*

3. Sigilla gratiæ fidei *eſſe de circumciſione aperte* Rom. 4. *habetur. Agni paſchalis ſangvis poſtibus illitus confirmatio Iudæis de peculiari fœdere & protectione DEI fuit, ne plagæ Ægypti eos attingerent*, Exod. 12. v. 13. 17. 23. ſeq *Baptiſmus* ἐπερώτημα *& ſtipulatio bonæ conſcientiæ cum DEO dicitu*, 1. Petr. 3. v. 21. *Idem bapt. & Cœna in terris teſtar dicuntur, quòd Spiritus, hoc eſt, Doctrina Evangelii, veritas ſit*, 1. Joh. 5. v. 8. *Quod autem certâ teſtificatione aliquid*

confirmat

confirmat, jure ejus sigillum appellatur. Inde Cœna in publicam mortis Christi commemorationem expedienda, Luc. 23. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. seq. *Frustraq; hoc* Pontificii & Anabaptistæ *negant. Cuidam Sacramento & ratione subjectorum accidere potest, ut in gratiam fidei primùm inferat, Vt infantes in V. T. Circumcisio*, Gen. 17. *In novo baptismus*, Rom. 6. v. 4. Gal. 3. v. 27. *Vt infantes sunt, gratiam confert: Vt adolescunt, collatam obsignat.* Reliqui fines Secundarii *sunt, ut Symbola Confessionis, tesseras discretionis populi* DEI *ab infidelibus, notas studii virtutum, Caritatis & concordiæ, esse.* Character autem Sacramentalis Papistarum, *Scripturæ ac primæ Antiquitati satis ignotus est. Sed Characteris bestiæ mentio* Apoc. 13. v. 16. 17. C. 14. v. 9. 11. *apertè extat.*

4. *Non sunt media gratiæ* Physica *& naturalia, quasi ex opere operato efficaciam præstare queant, sed mystica & moralia, ex gratioso Dei beneplacito constituta, eoq; conditiones utentium ad effectum prærequirunt, Vt fidem*, Marc. 16. v. 16. Hab. 2. v. 4. Hebr. 11. v. 6. *Et hæc in cujusvis Sacramenti institutione aut explicatione involuta est*, V. Marc c. l. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. Rom. 6. v. 3. 8. seq. Gal. 3. v. 26. 27. Ephes. 5. v. 26. 27. 1. Joh. 5. v. 6. 1. Petr. 3. v. 21. Et finis, *cujus gratiâ institutum est Sacr: Cuivis Sacramento essentialiter & in definitione suâ spectato inclusus est*, t. 2. 3. *Prout omni actui ad certum finem ordinato ille essentialiter inclusus est*, Vid. Tr. de Comm. Sanct. C. 5. t. 35. *Is autem sine fide haberi non potest*, t. 3. *Fidei ergò respectus ad Sacramentum plenè ac totaliter ex institutione & intentione* DEI *Spectatum necessariò requiritur, nec sine eâ illud satis integrum, Deiq; scopo conveniens esse, aut sufficienter definiri potest.*

5. Intentio ministri *administrantis Sacramentum ex-*

terna, *vel ipsius operis externa expressio per verba factaq; Sacramentalia institutione fundata, eiq; conformia facta, ad esse Sacram: pertinet:* Interna, *mentalis, & finis Sacram. in dispensante non, hæc enim ad decorum personæ pertinet, nec ad vim Sacramenti conferre, vel ei aliquid demere potest. Sic qui Christum non ex intentione prædicant, tamen verè prædicant,* Phil. 1. v. 18. Necessitas *Sacram: est ordinis, constitutionis, & operationis, non absolutæ requisitionis, sic enim ante institutam Circumcisionem multi salvati, ubi vicem gratiæ impleverunt Sacrificia fide promissionis* DEO *exsoluta,* Gen. 4. v. 4. Hebr. 11. v. 4. *Et infantes fidelium ante 8. diem demortui sine eâ salvabantur,* Gen. 17. v. 12. *Et in Paschate casus quidam excepti erant,* Num. 9. v. 6. seq. *Et in N. T. quosdam sine baptismo ac Cœnâ decedentes salvari certum est.* Prædicationes Sacramentales sunt attributiones de illis factæ, ex habitudine Logicâ affirmantes, *Synonymicæ aut Paronymicæ, veræ, Supernaturales, necessariæ;* Ex Theologicâ Spirituales, *mysticæ, inusitatæ, & Sacramentales. Vt subordinata, non opposita, hæc sibi coordinari possunt.* Conf. C. 4. t. 12. *Pluribus de his* Tr. d. modis prædicandi f. 1. & 2. *actum.*

6. Sacramenta sunt Vel Veteris, Vel Novi Testamenti. Veteris, *quæ ad Vetus fœdus legale pertinuerunt, ejus tempore durare debuerunt, Messiam venturum designârunt, & gratiam Evangelicam sub isto fœdere utentibus obsignârunt.* Suntq; Circumcisio & Pascha. Circumcisio est prius Sacramentum, in externâ præputii masculini 8. die secundùm DEI mandatum amputatione consistens, gratiam fœderis DEI adultis obsignans, infantibus conferens, eosq; in fœdus illud actu recipiens. Gen. 17.

v. 10 seq. *Mulieres ut partes viri ac familiæ virilis sub promissione fœderis continebantur*, v. 7. *Inde cum viris circumcisione se sustentârunt*, Judit. 11. v. 13. *Et pro circumcisis habitæ*, Exod. 12. v. 48. *In fide mortuæ sunt*, Hebr. 11. v. 12. *Ac gentilium filiæ pro incircumcisis habitæ sunt*, 2. Sam. 1. v. 20. *Verbis & rebus constitit, nec solis rebus Sacramentum aliquod constare potest, Ut* Papistæ *volunt.*

7. Agnus Paschalis est posterius V. T. Sacramentum, in externâ agni masculi & anniculi separatione, mactatione, assatione, ac cum acymo & lactucis amaris comestione consistens, liberationem ex Ægypto commemorans, & gratiam fœderis divini obsignans. Exod. 12. v. 3. seq. 14. 17. *Materia cœlestis Christus in cruce mactandus*, Joh. 19. v. 36. 1. Cor. 5. v. 7. *Terrestris agnus ex promiscuo hœdorum vel agnorum grege sumptus est*, Exod. 12. v. 5. *Sed agnus, non hoedus. Terminus à quo, unde agnus sumendus, agni & hoedi grex esse potuit: Objectum ad pascha sumendum agnum esse oportuit.* Boves *agno adduntur*, Deut. 16. v. 2. *Sed non in Sacramento Paschali, Verùm sacrificio*, Num. 28 v. 19. *Quà mactatus, occisus, sangvis ejus fusus, postibus aspersus, DEO oblatus, residuum combustum*, v. 10. 22. *Sacrificii rationem habuit, Unde Zebach nominaliter vocatur*, v. 27. *Et Pascha immolari dicitur*, Marc. 14. v. 12. Merum tamen Sacrificium non fuit, *Non enim primariò animo* DEO *offerendi aut eum propitiandi, sed comedendi & commemorandi occisus fuit: Et assandus fuit agnus, non coquendus*, v. 14. 17. *Nisi generaliter coquere pro maturare sumas, quod assare comprehendit*; Deut. 16. v. 7. 2. Chron. 35. v. 13. *Vel victimæ Paschales notantur, quarum quædam elixari poterant*, 2. Chron. C. l. Finis *ejus* com-

commemorativus, præfigurativus, & confirmativus fuit.

8. *Differentia Sacramentorum Vet. Test. à Novi Sacram. est*, quòd *illa in Christum venturum*, hæc *in præsentem & in carne jam exhibitum respiciant*, Illa *typicè & adumbrativè eum repræsentârint*, hæc *substantiam ejus contineant & exhibeant*. Ibi *caro Christi fuit in typo, figurâ, & imagine*, *hic in antitypo, substantiâ, & veritate. Patres V. T. escam spiritualem eandem inter sese, non nobiscum, comederunt, & eundem potum de spirituali petrâ biberunt*, 1. Cor. 10. v. 3. 4. In typo nempè & figurâ, *Manna & aquâ è petrâ ipsis datâ, & â comparatis Patribus V. T. inter se ad nos arguit Paulus*, *Vt DEus in multis ipsorum beneplacitum non habuerit, etsi iisdem typis & beneficiis uterentur: Sic & nobiscum fore*. An nostrorum typi & figuræ fuerint, *& nostra illorum antitypa ac complementa sint*, *Vt* Pontificii *volunt, ex sacris non satis constat. Expressio typi & accommodatio ad antitypum in Scripturis sufficiens non est, quæ ad typum requiritur, Vt* in Passion. *fuit t. 16. dictum*.

CAPUT XIX.

De Sacramentis Novi Testamenti.

SAcramenta novi Testam. sunt, quæ ad fœdus gratiæ Evangelicæ pertinent, *â Christo jam in carne exhibito instituta, & solenniter per totum Orbem promulgata sunt, media ac signacula justitiæ fidei per Christum ritè utentibus futura.* V. C. 18. t. 3. Suntq; duo tantùm, Baptismus & Cœna Domini. *Hæc enim novum Testam. insinuat*, Joh. 19. v. 35. 1. Joh. 5. v. 6. 8. *Et facto ipso tantùm memorat ac repræsentat.* Reliqua *fictitia sunt, primæ Antiquitati ignota, & Iudæis ac Turcis quandoq; commu-*

munia, Vt Conjugium. Versus de illis est: Abluo, firmo, cibo, dolet, ungitur, ordino, jungo.

2. Baptismus est prius Novi Test. Sacramentum, quo aquâ ad peculiare munus in Verbo sanctificatâ in nomen Patris, Filii, & Spiritus S. homo peccator abluitur, ad remissionem peccatorum consequendam, & bonæ Conscientiæ stipulationem cum DEO ineundam. Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 16. Joh. 3. v. 22. C. 4. v. 1. 2. Actor. 2. v. 38. C. 22. v. 16. 1. Petr. 3. v. 21. *Vox baptismi in Sacris aspersionem,* Exod. 24. v. 6. 8. Lev. 14. v. 7. 8. Num. 19. v. 9. *Et immersionem notat,* Psal. 69. v. 1. 2. Job. 9. v. 31. *Et in baptismo utrumq; indifferens est, & utrovis modo fiat, baptismus naturâ sui legitimus est. Non pro immersione rigidè hic nimis cum* Reformatis *quibusdam pugnandum, Vt ex illis ipsis* Martyr, Crocius, Tilenus, Wollebius, aliiq; *fatentur. Vis, fructus, & effectus ejus ex* c. l. *patet. Reverâ in se unicus est, non internus & externus, quasi specie isti differant,* Ephes. 4. v. 5. *Quamvis aliquid interni, ut efficacia ejus & pars cœlestis, S. Trinitas, aut sangvis Christi, & aliquid externi, ut aquæ ablutio, in eo concurrat. In aquâ autem fieri omnia ejus loca N. T. & perpetua Apostolorum praxis in Actis descripta docent, frustraq; de doctrinâ hæc* Photiniani & Arminiani *detorquent.*

3. *Administer ejus* Ordinarius Minister Verbi *est, eò vocatus & ordinatus: etiam hæreticus, si substantialia servet, aut prorsùs incognitus sit, etiam impius vel impurius:* Extraordinarius *in casu necessitatis & fœmina aut Laicus esse potest, ut olim in Circumcisione,* Exod. 4. v. 25. 2. Macc. 6. v. 10. Objectum *ejus est homo, qui discipulus Christi fieri potest, natus in mundum, non in utero detentus, in supposito proprio, non*

alio

alio pro eo substituto, Tam adultus, qui priùs docendus, post baptisandus, Matth. 28. Actor. 8. & 10. *Quàm infans*, Act. 16. v. 15. 33. C. 18. v. 8. 1. Cor. 1. v. 16. *Qui peccati capax*, Psal. 51. v. 7. *Nec Sanctus nascitur, sed renascitur*, Joh. 3. v. 5. Ephes. 2. v. 1. *E. & medii contra peccatum capax erit*, Joh. 3. Tit. 3. *Ad quem promissio gratiæ pertinet*, Actor. 2. v. 39. *Et qui in V. T. circumcisus est*, C. 18. t. 6. *Non Campana, ut in Papatu, brutum, aut cœlebs tantùm, Vt Marcion voluit.* De Ceremoniis, *patrinis, necessitate, aut iterandi habilitate in eo Theologia Casuum videatur.*

4. Cœna Domini est posterius N. T. Sacramentum, à Christo nocte ante passionem institutum, in qua panis, quem frangimus, naturâ sui manens, non transsubstantiatus, veri & substantialis Corporis Chr. in usu, & vinum benedictionis manens, sangvinis Christi realis ac mystica his in terris communicatio in potu ritè utenti ac se probare valenti, ad fidelem Christi commemorationem, & mortis Domini usq; ad reditum ejus annuntiationem est, & esse debet. Matth. 26. v. 26. seq. Marc. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 10. v. 16. seq. C. 11. v. 23. seq. *Ipsius Corporis & sangvinis Christi, non signi, Sigilli, tesseræ, pignoris, fructus, virtutis, efficaciæ, spiritus, figuræ, aut similis communicationem hic esse*, tùm *institutio nusquam aliter in sensu explicata*, tùm *aperta Paulit in eodem sensu repetitio*, 1. Cor. 11. *&* de κοινωνία *explicatio*, C. 10. Tùm *Sangvinis Christi in hac terrâ testificatio*, 1. Joh. 5. v. 8. *Ac Sacram. N. Test. essentia, quæ substantiam & rem habent, cujus figuram & adumbrationem V. T. habuerunt*, C. 18 t. 8 *Solidè demonstrant. Secùs agnus Paschalis longè manifestiùs adumbravit, quàm nostra Cœna, si in adumbrando ac significand*

cand

cando hic sisti debeat. Velle *Christum Corpus dare, & facto edendum exhibere, ex Institutione probandum:* Posse *ex unione personali & exaltatione.*

5. Oralis & propria *hæc Communicatio & perceptio est ratione panis & vini, mediatè etiam ratione Corporis & sangvinis Christi, quæ in & sub istis Symbolis, pane & vino, ore sumi dici possunt, quia Symbola & media eorum ore sumuntur:* Spiritualis, impropria, & mystica *ratione Corp. & Sang. in sese & substantiâ sui, quæ animæ & fidei objecta, non oris & labii sunt, nec in sese & substantiâ sui ab infidelibus sumi possunt.* Composita aggregataq; Communio ac perceptio Sacramentalis ex duobus objectis distinctis simùl, ore ac fide, labio ac animo, percipiendis, *pane & vino, Corpore & Sangvine Christi, dici potest,* non simplex & incomplexa, *Si Christi institutioni, Pauli repetitioni & explicationi, finis additioni, qui in talibus ritibus ad certum finem ordinatis semper ad plenam actuum essentiam pertinet,* V. C. 18. t. 4. *Objectorum sumendorum, & manducationis naturalis ac mysticæ diversitati, & aliis conformis esse debeat. Sicq; & os hominis hic accipit, quod suum est, & fides, quod suum, Vt olim* Syngramma Suevicum *determinavit. Quod* Lutherus *peculiari præfatione exornavit, & vehementer approbavit, Vt* Tr. de Esu Euchar. C. 1. *dicetur.* Nec nuda in os receptio *verè proprieq; dicta est manducatio. Vnde qui non duplici organo simùl percipit, ore & fide, Eucharisticè & ad mentem ac intentionem Christi instituentis, ac Pauli repetentis non percipit, sed indignè de hoc pane & vino sumit, eoq; per indignum istum panis & vini hujus usum* reus Corporis & Sangvinis Christi *fit, cujus communicatio ipsi panis & vinum istud in Cœnâ esse debuit, sed ob indignitatem ac incre-*

du-

dulitatem ejus non fuit. Sic reus vini, quod in terram effundit, & bibere debuit. Accipit panem Domini*, sed non panem* Dominum*, ut de* Juda Augustinus. *Et talis est Indignorum manducatio*, 1. Cor. 11. v. 27. *Vt latè* Tr. de Esu Euchar. *C. 3. ostendetur.*

6. Panis *sive azymus, sive fermentatus, usitatior vel rarior, communis vel peculiaris, crassus vel subtilis, dummodò verus, ac substantiam panis habens; & vinum, Sivè rubrum, S. album, Rhenanum vel Gallicum, merum vel dilutum sit, perindè est, sed diversa species ab istis esse non debet, ut panis radicalis, mulsum, lac, ut* Reform. *quidam volunt. Nec enim substantialia Cœnæ homini mutare licet.* Vt Tract. de Pane, S. 2. t. 26. seq. *dictum. Vnio eorum cum Corp. & Sangvine Christi mystica, inusitata, supernaturalis, & Sacramentalis est, non communis, essentialis aut accidentalis, vel usitata. Talis consequenter & de sese prædicatio. Cum panis Corpus, Vinum Sangvis Christi dicitur,* Conf. C. 4. t. 12. C. 18. t. 5. *Quanquam Scriptura ita non loquatur, sed aliter,* 1. Cor. 10 v. 16. *Cujus lingvam humanis præcolere Christianum decet,* C 3. t. 7. *An propria prædicatio sit, ambiguum?* Si mediatum pro medio, *Corpus pro medio, quo id communicatur,* aut signatum *pro signo sumatur, Vt, hoc est Cæsar, qui Pompejum vicit, pro, est imago Cæsaris, ad quem utrumq; sensum prædicatio talis indifferens esse potest, non omnis tropus facilè hic negetur. Et utroq; modo sæpè alias Scriptura ac communis usus loquitur, Vt* d. fid. Christ. L. 2. C. 6. *dicetur.* Vid. Joh. 17. v. 3 Rom. 1. v 16. Gal. 4. v. 24. Et passim.

7. Fractio panis *ut ad distribuendum præparatio est, necessaria Cœnæ est:* Modus & tempus ejus, *ut in ipsa Cœnæ administratione fiat, indifferens, & finis, fracti, lace-*

rati

rati, puncti, attriti, distenti, torti, Corporis Christi repræsentatio; in Sacris expressus non est, eoq́; necessarius in Cœnâ non est, nec verbo facite comprehensus est, secùs Communicantes frangent, non minister, ut aliàs fieri debet. Et ubi panis comestio, vini bibitio, non est, sed inclusio, reservatio, circumgestatio, adoratio, superstitiosa ostentatio, vera Cœna non est, sed alienum quid: Non enim actus Christi institutioni conformis & in eâ mandatus est, sed alienus. Vt in Papatu interdum V. de Pane. s. 2. t. 38. Et p. 2. Misc. Theol. t. 6 7.

8. Omnes illi, *qui se probare possunt & volunt, ad Cœnam admittendi,* 1. Cor. 11. v. 28. *Qui id nequeunt, aut nolunt, abigendi, ut totaliter abstemii, Vel panem horrentes,* V. S. 1. de Pane, t. 41. *Infideles, Athei, notorii flagitiosi & hæretici, substantialia Cœnæ negantes, amarulenti & litigiosi, furiosi continui, infantes, amentes, mortui, illicitas artes exercentes, nec desistentes. De quibus versus:* Ebrius, infamis, erroneus, atq; furentes. Cum pueris Domini non debent sumere Corpus. *Et ubi pastor solus est, sibi ipsi Cœnam ministrare potest, maximè ubi loci consvetudo ita fert: Si tamen alius haberi potest, ab alio accepisse satius sit. Si fines Cœnæ totaliter evertantur, satis legitima Cœna non est.* V. c. l. t. 37. *Et* p. 2. Misc. c. l.

9. Affectiones Cœnæ *sedes doctrinæ illius, quæ loca* t. 4. *citata sunt, Non* C. 6. Johan. *Quod de merè immediatâ & spirituali, non Sacramentali comestione, quæ complexa est, loquitur,* t. 5. *Et anno Institutionem Cœnæ præcessit: Necessitas, Vtilitas, effectus, frequentatio ejus,* 1. Cor. 11. v. 25. 26. *Adjuncta & Circumstantiæ ejus sunt, tempus, locus, modus, vestes Sacerdotales, Cerei incensi, tinnitus nolæ, aliaq́; ornamenta, quæ omnia indifferentia sunt, & ad de-*

corem Ecclesiæ ordinata esse debent, 1.Cor. 14. v. 40. *De prædicationibus ex eâ exsurgentibus*, t. 6. Et Tract. de modis prædicandi s. 1. & 2 *quædam tradita fuerunt.*

CAPUT XX.

De glorificatione.

ITa Obsignatio per externa sigilla *fuit: Sequitur* Glorificatio, actus DEI externus, quo adoptatis ultimam justitiæ promissam coronam post luctam finaliter depugnatam imponit, & ex miseriâ in felicitatem æternam gloriosè transponit. 2. Tim. 4. v. 8. 1. Petr. 1. v. 8. 9. *Hæc vel in ultimo hujus vitæ spectatur quæ Mors est, de quâ* L. 2. C. 5. t. 8. *Ubi partialis est, & statìm animæ fideli â Separatione à Corpore obtingit, non die post, Ut* Photiniani, Psychopannychitæ, Anabaptistæ, aliiq; *volunt*, C. 14. t. 5. *Aut limbo in V. T. detentæ aut purgatorio in novo, ut* Papistæ, *quæ omnia contra & extra Scripturam sunt, Piè enim defuncti rectà è morte in gloriam transferuntur*, Joh. 3. v. 18. 36. C. 5. v. 24. V. c. l. Et de Comm. Sanct. C. 6. Vel in rèsuscitatione mortuorum *Ubi totalis est, & animæ post conjunctionem cum Corpore obtingit, ut conjungantur in mercede, quæ conjuncta hic fuerunt in labore & onere.*

2. *Sic* vel quà actus antecedentes, vel seipsâ & suo termino, vel sui opposito *spectatur*. Actus antecedentes sunt, *quæ ultimum glorificationis terminum præcedunt illi inserviunt, & ad eum disponunt. Suntq;* adventus Christi ad judicium, Resuscitatio mortuorum, Extremum judicium, & Consummatio Seculi. Adventus ad judicium est actus DEI externus, *quo Christus* DEUS *hom*

è cœl

è cœlo, ad quod ascendit, visibiliter reversurus est ad Orbem terrarum judicandum. Matth. 24. & 25. Actor. 1. & 17. Rom. 2. & 14. 1. Thess. 4. & 5. 1. Petr. 3. Signa *ejus varia sunt, tempus incertissimum, præparatio ad eum summè necessaria.* Resuscitatio mortuorum est actus DEI externus, *quo mortuos per Christum DEum hominem ut judicem, è morte in vitam iisdem numero Corporibus & animabus reunitis in ultimo die revocabit, ut judicio sistantur, & præmia factis digna nanciscantur.* Job. 19. Esai. 26. v. 19. Matth. 22. 25. Dan. 12. Actor. c. l. Apoc. 11. & 20. 1. Cor. 15. *Et alibi. Ex solâ Naturâ non sufficienter patet, etsi probabilitas ejus indè colligatur.* Vt Tr. de Not. nat. C. 3. *dictum. De Circumstantiis ejus in* Theol. *plura traduntur.*

3. Extremum judicium est actus DEI externus, *quo per Christum DEVM & hominem ut judicem homines resuscitatos in aërem Christo obviam rapiet, ad ultimam sententiam audiendam, & præmia aut pœnas commeritas reportandas.* Matth. 25. Actor. 17. 1. Thess. 4. 2. Thess. 1. V. t. 2. *De insigni ante illud Iudæorum conversione,* Rom. 11. v. 25. *videatur, Quæ qualis, & quanta futura, incertum est, frustraq́;* Chiliastis & Fanaticis *determinatur.* Consummatio seculi est actus DEI externus, *quo mundus & quæ in eo, homine & angelis exceptis, ad veritatis, potentiæ, ac justitiæ divinæ demonstrationem & piorum liberationem, per Christum igne in nihilum redigentur, ut locus eis non inveniatur.* Job. 14. v. 2. Psal. 102. v. 27. seq. Esai. 34. v. 4. C. 65. v. 12. Dan. 9 v. 27. Matth. 24. v. 3. Luc. 21. v. 33. Rom. 8. v. 21. seq. 2. Petr. 3. v. 10. Apoc. 20. v. 11. *Ignis qualis futurus, & tempus, quo erit, tutiùs exspectatur, quam exploratur, aut sine Scripturâ determinatur.* Substantialem destructionem

annihilationem esse emphaticæ Scripturæ phrases transeundi, veterascendi, non existendi, locum non retinendi, perditionem generationi oppositam patiendi, ut folium putrescens desinendi aliæq; docent, & Reform. quidam confitentur, Ut Beza, Tilenus, Chastanio, Wollebius, aliiq;.

4. *In* seipsâ & sui termino *glorificatio est* ipsa vita æterna, summus glorificationis status & gradus, *qua DEUS pios resuscitatos æternâ gloriâ coronabit, & ad beatificam sui in cœlis visionem & glorificationem promovebit.* Job. 19. v. 26. Psal. 42. v. 2. 1. Cor. 13. v. 12. 1. Joh. 3. v. 2. Apoc. 12. v. 3. Partim *bonis* privativis, partim positivis *constat. Et visio DEI plena, distincta, ac perpetua erit, ipsum intuens, non tamen exhauriens, DEusq; omnia in omnibus erit,* 1. Cor. 15. v. 28. Gradus *fulgoris in eâ erunt,* c. l. v. 41. 42. Dan. 12. v. 3. Luc. 19. v. 17. 19. *Etsi essentialis beatitudo omnibus eadem erit. Ac tutius ad beatam illam sedem piè anhelare, quàm curiosè nimis de eâ disceptare est. In* opposito suo est damnatio, *de quâ C. 21. t. 5. videbitur.*

CAPUT XXI.

De actibus DEI circa mala & malos.

S*Ic gubernatio hominis in fœdere restituto ad bonum. Sequitur,* quæ est in malo & peccato, *actus DEI* externus, quo in peccatis permittẽdis & gubernandis DEUS ita versatur, ut nec labem contrahat & omnia gloriæ suæ, ac universi bono servire faciat Prov. 16. v. 4. *Estq;* ante *peccatum*, in *peccato*, & post illud. *Ante impeditio, permissio, occasionum accidentalis oblatio, & concursus est.* Impeditio est actus externus, quo

moraliter

moraliter & interdùm violentè peccata impediuntur. V. C. 10. t. 3. Conf. Actor. 9. v. 3. seq. *Permissio est actus externus, nolendi violentè impedire, quod fit, sed tolerandi, ut fiat.* V. C. 6. t. 4. *Non est licentia faciendi, quod probibetur, sed tolerantia facti, quod vi non inhibetur.* Occasionum accidentalis oblatio est *actus externus, quo aliquid objicitur, Vnde Creatura ex suo intento & internâ malitiâ peccandi occasionem & irritamentum rapit, etsi DEus nec velit, nec intendat. Sic arbor vetita,* C. 10. t. 4. *Et lex in nobis,* Rom. 7. v. 8. seq. *David expulsus Simei ad maledicendum,* 2. Sam. 16. v. 6. *Nec causa peccati, nec occasio per id DEVS fit, sed per accidens ab homine eò talia rapiuntur.* Vt de Caus. p. accid. t. 40. 41. *dictum.* Concursus est actus externus, *quo ad materiale, motum, habitum, & actum in peccato, non formale, DEVS concurrit, vim & motum ministrat, & Creaturam conservat.* C. 9. t. 2.

2. In peccato desertio, directio, & determinatio est. Desertio est actus ext: *Quo hominem in peccando gratiâ deserit, quod ut fieret, ille peccando promeruit.* 1. Sam. 16. v. 14. 2. Chron. 32. v. 25. 31. Psal. 81. v. 13. Ezech. 14. v. 5. 9. Rom. 1. v. 24. Directio est act. ext. *Quo peccatum sapientissimè & potentissimè in fines á DEO volitos dirigitur, etsi peccantibus sæpè non intendantur,* V. Gen. 15. v. 5. 8. C. 50. v. 20. Esai. 10. v. 6. Mich. 4. v. 12. Prov. 16. v. 9. C. 21. v. 1. 2. Ezech. 21. v. 19. seq. Determinatio ac. externus, *quo modum, objectum, & terminum peccato ponit, ne in infinitum peccator evagetur,* Job. 1. v. 12. C. 2. v. 6. 1. Sam. 25. v. 33. seq. 2. Reg. 19. v. 28. Psal. 124. v. 3. 2. Chron. 12. v. 7. Joh. 7. v. 30. C. 19. v. 33. Luc. 22. v. 53. *Sic impii bonis DEI operibus malè utuntur, & hoc culpæ est:*

DEVS

DEVS impiorum operibus benè, & hoc sapientiæ ac justitiæ est Multis hac de re c. l. t. 38. seq. Dictum.

3. *Post peccatum est* punitio, actus externus, quò peccatori pœna ex tenore justitiæ pro peccato debita rependitur. Exod. 20. v. 5. 6. Matth. 25. v. 41. Rom. 1. v. 32. C. 2. v. 8. 2. Theſſ. 1. v. 6. Apoc. 20. & 22. *Estq;* vel in hoc seculo, *eaq;* aut *Corporalis, quæ statum animalem concernit, ut morbi, pauperiei, Calamitatis, immissio;* aut spiritualis, *ut tristes cogitationes, animi angores, conscientiæ terrores.* Hæc vel gratiæ ablatio, vel in potestatem mali traditio est. Gratiæ ablatio, *quà pertinax peccator percutitur, mens excœcatur, cor obduratur, Spiritus S. assistentia adimitur, qui succurrere solet.* Exod. 7. 8. 9. Psal. 51. v. 13. Esai. 6. v. 10. Joh. 12. v. 40. Rom. 1. v. 28. C. 8 v. 14. seq. *Vulgò* induratio *dicitur. Non est mera gratiæ negatio, non emollitio, aut merè accidentalis obfirmatio, Vi cum durus discipulus verberibus molliendus illis durior evadit. Sed singulare supplicium, incorrigibili peccatori, Vt Pharaoni Jeremiæ auditoribus, justè inflictum.* Originaliter, antecedenter, *& ut peccatum ejusvè causa, â Sathanâ ac homine* Judicialiter, consequenter, *& ut justa præcedentium peccatorum pœna, â DEO profectum est. Et sic DEO adscribitur.* Exod. c. l.

4. In potestatem mali traditio est actus externus *quà in mentem reprobam, erroris efficaciam, carnis desideria Et Sathanæ potestatem talia meritus peccator traditur, qui potenter in filiis contumaciæ grassatur.* Psal. 81. v. 13. Ezech 20. v. 25. Rom. 1. v. 24. seq. 2. Cor. 4. v. 4. Ephes. 2 v. 2. 2. Theſſ. 2. v. 11. *Erroris formale DEVS privativè & desertivè, finem & punitionem in eo positivè & effectivè immittit.*

mittit; ut benè Ref. quidam *hic distinguunt. Quanquam Veterum quidam, ut* Cinglius, Calvinus, Beza, Martyr, Rennecherus, *incommodè interdùm locuti sint, Vt* cit. Tract. *uberiùs dictum.*

5. Punitio in futuro seculo damnatio est, act. ext. *quo finalis peccator æternùm à facie* DEI *rejicitur, & in stagnum ignis infernalis ad æternas torturas conjicitur.* Num. 16. v. 33. Esa. 66. v. 44. Matth. 25. v. 41. 2. Thess. 1. v. 8. 9. Apoc. 20. v. 15. Estq; partialis, *solius animæ post separationem à Corpore, Vt in Iudâ,* Joh. 17 v. 12. Et totalis, *totius hominis animâ & corpore constantis, Vt in fine mundi.* Matth. 25. *Status ejus* Infernus, *gehenna, mors æterna vocatur. Certo aliquo in loco & spatio erit, atq; ita Scriptura loquitur,* Num. 16. c. l. Deut. 32. v. 22. Matth. 11. v. 22. Luc. 16. v. 23. *Etsi ubi præcisè sit, dici non possit, & experiri periculosum sit. Nec est mera destructio, & in statu mortuorum relictio, Vt* Photiniani *volunt, sed & cruciatuum perpessio,* Matth. 8. v. 25. Luc. 16. & 14. 2. Thess. 1. Apoc. 20. *Vt damnati mortem quæsituri, non inventuri sint,* Apoc. 9. v. 6. *Et meliùs non natum, quam damnatum esse sit,* Matth. 26. v. 14. *Æternaq; illa erit, non finem habebit, Vt* Origenistæ & Anabaptistæ *volunt, Vt anima damnata quotidiè moriatur, sed in æternum non emoriatur.* V. Michaël. t. 72.

6. *Ignis ejus* & tropicus *erit, Conscientiæ morsus,* Sap. 5. v. 2. seq. *Et* proprius, *flamma torquens, nunquam consumens,* quæ ut singulare instrumentum DEI peculiariter ad id elevatum *etiam in animas ac spiritus aget, Non ut merum Naturæ Corpus, Et alterius rationis à nostro culinari erit.* V. c. l. Gradus Cruciatuum *in eo erunt,*

Sap.

Sap. 6. v. 7. Matth. 10. v. 15. C. 11. v. 21. 23. C. 23. v 14. Luc. 12. v. 47. 48. *Quæ de circumstantiis ejus specialiter extra Scripturam disquiruntur, incerta sunt.* Satiùs *ita vivitur, Vt infernus nunquam adeatur, & facto cognoscatur, quàm de statu ejus nimis curiosè disceptatur.*

Liber II.
De agendis Theologicis.
CAPUT I.
De Praxi Theologicâ in genere.
Thesis I.

H*Actenùs* Objecta credenda *fuerunt, & Theol. Theoretica*: Seqvuntur agenda, *& Theol. Practica.* Praxis Theologica est actus Spiritualis à nobis producibilis, & in isto producendo esse suum habens, ac operationem à nobis productam relinquens. *Dicitur & Observantia, Caritas, vel Oppositum ejus. Et* vel *in genere* & *ideâ*, Vel *specie & exemplo spectatur.* In ideâ *sine respectu ad singularia. Hæc* vel *communis est, omni homini competens*, Vel *particulais, cuidam statui. Vt agenda Ministerii, Conjugii, Magistratus.*

2. Observantia Theologica est praxis Spiritualis, quà voluntatem DEI revelatam officium nostrum præscribentem cum subjectione ad gloriam DEI & nostrum usum præstamus. Deut. 29. v. 29 Mich. 6. v. 8. Eccles. 12. v. 13. Matth. 6. 7. Rom. 8. *Dicitur & Obedientia*

Ro

Rom.6.v.16. *Servitus*, Luc.1.v.74. *Iustitia*, Rom.6.v.13. *Sanctitas*, 1. Petr.1.v.14. *Gratitudo*, Deut.32.v.6. Norma *ejus lex est*, L.1.C.13.t.1. Efficiens *Sp. S. & Voluntas renovata*: Adjunctum *promptitudo*, Deut. 28. v.47. Psal. 110. v.3. 2.Cor.8.v.3.12. *Et sinceritas sunt*, 2.Cor. c.1. Gal.4. v.18. Coloss. 3. v.22. seq. Effectum *est confirmatio spei ac fidei nostræ, aliorum ad ea irritatio, DEI glorificatio*, Matth. 5.v.16. 1.Tim.1.v.19. 1.Petr.2.v.2. seq. C.4.v.11. 2.Petr.1.v.10. *Non meritum vitæ æternæ, aut gratiæ à DEO dandæ, Quæ dona DEI sunt*, Rom.6. v.23. *Non meritorum acquisita. Via perveniendi ad vitam & conditio hominis salvandi esse potest*, Matth. 5.v.3. seq. C. 7.v. 13.seq. Rom.2.v.7.C.6.& 8. 1.Cor.9.v.24. Hebr. 12.v.14. Apoc.21.v.25. C.22.v.15. *Non meritum, causa, aut conditio ipsius Salutis. Et si quid meremur, ex promisso DEI meremur, apud quem justum reddere est, quod ex gratiâ promisit*, 2. Thess.1.v.6. Hebr.6.v.10. 2.Tim.2. v.13. *Non ex commisso.* Merita largè dicta *hic sunt, non strictè, hoc est, consequi aliquod, non ex vi justitiæ absolutè acquirere, ut &* Pontif. multi *fatentur*. Consequens *ejus est imperfectio: Non enim obedientiam præstamus, ut lex requirit, sed ut per carnem à nobis infirmatur.* C.13. t.4.

3. Subjectum Observantiæ homo renatus & voluntas regenita est. *Irregenitus eam non præstat, etsi virtutes morales, Oeconomicas, Politicas, & Civiles præstare queat, heroicis etiam virtutibus præditus sit, Vt Alexander M. Cæsar: Nec spiritualiter bona opera habet, quia non ex fide, nec in Christo facta, nec specialem DEI complacentiam habent*, Hebr. 11. v.6. *Etsi quà substantiam actus bona in genere dici queant*, V. Dec 3. Mis. d.9. t.24. *Et peccata*

non positivè, sed privativè dicuntur, quòd coram DEO imperfecta, & Evangelicè, quòd non à fideli & amico DEI profecta sint. Unde omnia immunda, malitia, & stercora hoc modo vocantur. Actor. 3. v. 26. Phil. 3. v. 8. Tit. 1. v. 15.

4. Oppositum ejus est cultus electitius, *superstitio & inobservantia Spiritualis.* Cultus electitius est, *qui ex proprio inventus, DEI verbo & voluntate revelatâ destitutus est. Severè à DEO prohibetur,* Num. 15. v. 39. Deut. 4. 5. & 12. Ezech. 20. v. 9. *Eoq; frustra DEUS colitur,* Esa. 29. v. 13. Matth. 15. v. 9. *Et authores ejus semper reprehensi,* Exod. 32. v. 5. seq. Judic. 8. v. 27. 1. Reg. 12. & 13. Matth. c. l. Marc. 7. v. 8. Zacch. 7. v. 5. Circumstantiis Cultus *& determinatio ab Ecclesiâ, pio Magistratu, institui potest. Sic Mardocheus festum Purim,* Esth. 9. *Maccabæus festa quædam,* 1. Macc. 4. v. 56. C. 7. v. 49. 2. Macc. 15. v. 37. *instituit, Veteres aras & templa erexerunt, hymnos modos colendi præscripserunt: Sed tempora, instrumenta, loca, modi, tantùm cultus fuerunt, Quæ in genere verbo constituta,* 1. Cor. 14. v. 26. 40. *Ipse essentialis Cultus, Invocatio, adoratio, celebratio, lege DEI præscriptus manet. Plura* p. 2. Mis. Theol. *dicta.* Inobservantia Spiritualis *est subjectionis DEO jure debitæ denegatio, & mandatorũ DEI rejectio,* 1. Sam. 15. v. 23. 2. Reg. 17. v. 14. seq. Psal. 81. v. 12. E*i affinis observantia hypocritica, Veræ observantiæ Simulatio & umbra, DEO exosa.* Sir. 1. v. 36. Matth. 23. v. 13. seq. Rom. 2. v. 28. seq. Esai. 58. v. 4. seq.

5. Observantia Communis omnem hominem ad decet: *Specialis quendam in certo statu attinet,* t. 1. *Communis in* agenda, cavenda, & patienda *dividi potest.* Agenda *duobus constant, Virtute, & virtutis opere vel actu.* Virtu:

tus est habitus Spiritualis à Sp. S. concitatus, voluntatem hominis ad benè agendum inclinans, & promptam ac instructam reddens. Rom. 8. v. 2. seq. *Ejus affectiones, sinceritas*, t. 2. *Constantia, Connexio, Subordinatio, & difficultas sunt.* Oppositum *ejus vitium sive peccatum est*, C. 5. t. 1. *Gradus habet Virtus, ut uni fortiùs à DEO impressa, ac alteri sit. Sic Abrahamus in fide solidissimus*, Rom. 4. v. 19. *Alii infirmi in eâ*, Rom. 14. v. 1. Marc. 9. v. 24. *Unde quidam infantes, quidam adulti dicuntur.* Hebr. 5. v. 13. 14.

6. Actus virtutis est operatio à dispositione Virtutis fluens. *Dicitur & opus bonum, rectum, laudabile. Principium ejus voluntas virtuosè disposita*, Matth. 7. v. 18. C. 12. v. 33. seq. *Objectum materia aliqua à DEO præscripta est*, t. 4. *Modum, finem, & Circumstantias ejus omnes collectivè bonas esse oportet, si ipsum opus bonum sit.* Estq; internus, *qui ab ipsâ voluntate elicitur, Ut appetere, moveri, velle, eligere*, & externus, *qui ab aliâ facultate proficiscitur. Ut meditari, orare, Sacrificare, eleemosynas dare.* Internus sine externo bonus *aut malus esse potest, non externus sine interno. Ille ad hunc ut ad finem suum perducitur*, Jac. 2. v. 22. *Hic ex illo educitur. In verè bono opere utrumq; concurrere, & bonum esse oportet.* Oppositum *ejus actus malus est, de quo* C. 5.

CAPUT II.

De Virtute in DEUM directâ.

V*Irtus Theologica* vel DEum *respicit*, vel proximum, vel seipsum, Matth. 22. v. 37. Rom. 13. v. 8. 9. Tit. 2. v. 12. *Ubi breviter id comprehenditur, piè scil. in DEum, justè scil. in proximum,*

Castè *in seipsum. Quæ DEum respicit*, religio, fides, spes, & caritas est. Religio est virtus Theologica, perficiens ad ea, quæ directè ad honorem DEO deferendum spectant. Rom. 1. v. 21. Objectum *ejus adæquatum DEus est, unde cultum huic debitum in nullum aliud suppositum, quod non DEVS, transferre oportet*, Exod. 20. v. 3. Rom. 1. v. 23. Gal. 4. v. 8. *Secùs DEus Zelotes est*, Exod. 20. v 5. *Et idololatriam vel semidololatriam id infert*, t. 2. 8. Oppositum *ejus in defectu impietas & irreligiositas, in excessu, superstitio est, Cultus indebitus DEO exhibitus, qui DEO complacere injustè existimatur.*

2. Actus religionis cultus DEI est, honor DEO ob eminentiam boni intrinseci à Creaturâ intellectuali tributus. Estq; Naturalis, *ex ipsâ DEI Naturâ cognitâ naturali lumine exsurgens*, Rom. 1. v. 23. *Vnde gentes arguuntur de neglecto eo*, Psal. 79. v. 6. Jerem. 10. v. 7. 25. 2. Tess. 1. v. 8. V. d. Not. Nat. C. 5. t. 16. Et institutus, *qui ut medium ad naturalem exercendum & promovendum ex DEI voluntate ordinatus est. Totus à DEI institutione pendet, non nostrâ electione*, C. 1. t. 4. *Secùs Diabolus & non DEVS loco DEI colitur*, 1. Cor. 10. v. 20. Lev. 17. v. 7. Deut. 32. v. 17. *In quo idololatria est*, 1. Cor. 12. v. 2. Gal. 4. v. 8. *Determinat* vel modum colendi, *Vt non per imagines*, Exod. 20. v. 3. 4. Lev. 26. v. 1. Deut. 5. v. 8. *Etsi alias imaginis factura aut in templo collocatio absolutè non sit prohibita, sed à DEO interdùm jussa, & à piis exercita*, Exod. 25. & 26. Jos. 22. 1. Reg. 7. v. 24. seq. *Totaq; res naturâ sui indifferens sit, Nec imago idolum nisi ex pravo colentis animo fieri possit*, Vt de Comm. Sanct. C. 6. t. 5. *dicetur: Et non assumendo DEI nomine in vanum, Vt 2. præcepto;* Vel tempus, *Vt 3. præc.*

præc. Vt in V. T. Sabbathum septimus, V. L. 1. C. 8. t. 4. *In N. primus dies est*; *Qui Dominicus dicitur*, 1. Cor. 16. v. 2. Apoc. 1. v. 10. *Vel quòd à Christo ipso institutus*, *Vel quòd ab Apostolis authoritate, scitu, & consensu Christi, in honorem & memoriam Resurrectionis ejus assumptus sit.*

3. Aliquem diem Cultui DEI destinare morale est, *& id Sabbathi vox requirit, Diem quietis & feriarum notans*: Septimum aut primum *eum esse, positivi juris & Apostolicæ institutionis est. Sanctior est reliquis diebus non ex se & naturâ sui*; *sed cultû DEI illi alligato*, *& resurrectionis Christi mysticâ commemoratione, ac sacro officio eo die peragendo, Vt ab operibus exercitia cultus impedituris quiescere necesse sit. Sanctificatio ejus singularis nostri ad colendum DEum destinatio & applicatio, corde, ore, opere, peragenda est.*

4. Fides est virtus Theologica, DEI fidelitati assentire, adhærere, eóq; plenè niti faciens, Vt quod proponit DEUS, consequi liceat. *Notitia, assensu, fiduciâ, & acquiescentiâ constat*, L. 1. C. 14. t. 2. *Eoq; mista ac composita virtus*, *in intellectu & voluntate simùl consistens est, Vt olim imago DEI fuit.* Estq; implicita, *Cum fidei veritates in communi principio*, *Scripturâ*, *creduntur*, Psal. 119. v. 18. 33. seq. Et explicita, *quà in particulari veritates ejus sciuntur & acceptantur*, 2. Cor. 4. v. 3. 2. Tim. 1. v. 12. *Caritatem & opera de se fundit*, *Vt fructus & effecta*, *quomodo arbor bona per fructus se exserit*, Matth. 7. v. 17. *Et sic à posteriori per ea ut complementa sua*, *Vt causa per effectum*, *perficitur*, *sineq; illis ut actibus secundis*, *mortua est*, Jac. 2. v. 17. 22. *Actus ejus* internus, *Vt creditio, assensio, apprehensio, erectio*, & externus est, *Vt manifestatio ejus*, *Confessio*, *quæ sine ambiguitate aut mentali reserva-*

reſervatione alienâ peragenda, ubi caſus legitimè requirens eſt. Et ubi totum verum non dicitur, partem ejus dictam eſſe ſufficere poteſt. Oppoſitũ *ejus incredulitas & infidelitas eſt.* C. 5. t. 4.

5. Spes eſt virtus Theologica, ad exſpectationem eorum, quæ à DEO promiſſa ſunt, inclinans & perficiens. *Objectum primarium DEus, Chriſtus,* 1. Tim. 1. v. 1. Coloſſ. 1. v. 27. *Et actus, quo nobis conjungitur, eſt,* Pſal. 37. v. 6. *Secundarium omne id, quo ut gradu & modo ad DEVM devenitur,* 1. Petr. 1. v. 33. Actus *ejus eſt exſpectatio,* Rom. 5. v. 5. C. 8. v. 25. *Nihilq́; ſperatur, quod non ante creditur,* Gal. 5. v. 5. *Præſentis & futuri diſcrimine ſeqveſtrantur, ſpes n. ſemper futurorum eſt,* Rom. 8. v. 24. Effectus eſt *animæ confirmatio,* Hebr. 6. v. 19. Oppoſitum *in defectu eſt metus pœnæ,* 1. Joh. 4. v. 18. Et *deſperatio, rejectio ſpei divinæ cum ſenſu rejectionis & apprehenſione rei ſperandæ, ut impoſſibilis ac nunquam futuræ, conjuncta: In exceſſu præſumptio, aut creatis & vanis, aut DEO perversè confidens.* Deut. 1. v. 43. C. 29. v. 19.

6. Caritas eſt virtus Theol. ad DEum ut ſummum bonum diligendum inclinans & perficiens. Pſal. 106. v. 1. 1. Joh. 4. v. 16. 19. *Fides & ſpes DEum ut apprehendendum, caritas ut nobis benefacturum reſpicit. Amor in eum ſummus* objectivè, æſtimativè, & intenſivè *eſſe debet, tàm* unionis, *Vt illi conjungi cupiamus,* 2. Cor. 2. v. 8. *Quàm* complacentiæ, *Vt in omnibus divinis plenè acquieſcamus,* Apoc. 7. v. 12. *Et* benevolentiæ, *Vt totos nos illi tradamus, omniaq́; ejus gloriæ deferri cupiamus.* Apoc. 4. v. 10. 11. *Vnde amicitia DEI cum homine oritur,* Judic. 8. v. 19. Sap. 7. v. 14. Joh. 15. v. 14. 15. Jac. 2. v. 23. *Sed diſquiparantiæ, excellentiæ, & proportionis, non æqualitatis,* 2. Pet.

1. v. 4.

1. v. 4. 1. Joh. 3. v. 1. Oppositum *alienatio ac odium abominationis & inimicitiæ in DEum est, & mundi ac vanorum inordinatus amor.* Joh. 15. v. 23. 1. Joh. 2. v. 15. 16.

7. *Ex virtutibus his conjunctim sumptis actus quidam oritur in DEum directus, gloriæq; ejus illustrandæ ei delatus; Estq;* vel *in recipiendo, quod DEUS proponit; Ut* verbi auditio, Vel *in proponendo, quod à DEO recipiatur, Ut* Oratio. Verbi auditio est religiosa voluntatis DEI *Verbo scripto comprehensæ perceptio, legendo, prædicando, scribendo, meditando, aliterve facta. Constat attentione mentis, & intentione voluntatis.* Oppositum *contemptus Verbi,* 2. Sam. 12. v. 9. Jerem. 5. v. 5. C. 25. v. 3. *Ad Magica & ludibria abusus, Et consultatio cum mundo, Sathanâ, Carne, in rebus religionis est.* Esai. 8. v. 9. Rom. 8. v. 7. Gal. 1. v. 16. *Huc Magi, Sagæ, & ridicula usurpantes pertinent, Ut Voces, numeros, Characteres, figuras, &c.* V. Tract. d. Mag. act. C. 9.

8. Oratio est affectus nostri religiosa *coram DEO repræsentatio, ad DEUM eâ in nostrum bonum afficiendum facta.* Gen. 25. v. 21. Exod. 32. v. 11. 12. Jac. 2. v. 15. seq. *Unde Oratio quasi clavis paradisi est, Ascendit Oratio, & descendit DEI miseratio. Objectum ejus est solus DEUS, nulla Creatura,* Deut. 6. v. 13. Matth. 4. v. 10. Psal. 50. v. 15. Esa. 55. v. 16. *Carnem Christi invocamus, sed in supposito divino, cum quo unum est, & in quo intimè subsistit, non in naturâ & essentiâ sui absolutè: Sanctorum defunctorum, angelorum, imaginum, crucis, reliquiarum, & similium cultus aut invocatio totus illicitus est, nec præceptum, exemplum, aut promissum ullum in Sacris habet, nec ab initio Ecclesiæ Christianæ in usu fuit.* V. de Comm. Sanct. C. 6. t. 6. Et Michael. t. 64. *Honorari & memorari Sancti defuncti*

& angeli

& angeli possunt; Religiosè coli aut invocari non debent. Ex speciebus Petitio, *eaq; absoluta vel conditionata, apprecativa vel deprecativa, sine jejunio vel cum eo, quod Ciborum carentia & neglectio, non differentia & electio Biblico sensu est*, V. Dec. 3. Misc. d. 5. t. 10. Et gratiarum actio, *eaq; publica vel privata, solennior vel remissior est.* Ex modis *brevior & prolixior, mentalis & vocalis, absoluta & juramento aut sorte aliovè modo determinata est.*

9. Juramentum est religiosa DEI invocatio, ad testimonium veritati dandum, & vindicem eum super falso contestans. Licitum in N. T. esse, Rom. 1. v. 9. C. 9. v. 1. Phil. 1. v. 8. Gal. 1. v. 20. Hebr. 6. v. 13. 16. *patet. Et particulæ* Amen, Certò, profectò, *vehementioris asseverationis, juramento fermè æquipollentis, non propriè dicti & formalis juramenti notæ sunt.* Sors vel sortitio est DEI ad testimonium per eventus determinationem in merè contingente invocatio, *quo finis Controversiæ imponatur, qui aliis mediis humanis satis haberi nequit.* Prov. 16. v. 33. C. 18. v. 18. Actor. 1. v. 24. 26. Adjuncta Orationis *Confessio & promissio DEO facta sunt.* Confessio *est religiosa culpæ, reatus, & miseriæ nostræ coram DEO agnitio, quà gloria DEO datur, gratia obtinetur & illustratur.* Jos. 7. v. 19. seq. Psal. 32. v. 5. *Et vel DEO soli, vel unà ministro Verbi fit, quæ* auricularis *dicitur, & in se libera ac indifferens, propter infirmos erudiendos, attritos erigendos, præfractos terrendos, etiam utilis esse potest. Vt contra* Ref. *quosdam pluribus in* Theolog. *ostenditur.*

10. Promissio est propositi seu voluntariæ determinationis ad seriò prosequendum id, *quod petitur, coram DEO testificatio*, Psal. 119. v. 106. 112. 115. *Interdùm simplex*

simplex est, Interdùm cum Voto, quod promissio delibe-ratò soli DEO à fideli & suæ potestatis homine, *de bono, licito, ac possibili faciendo aut omittendo in futurum facta, in honorem DEI & nostram Spiritualem perfectionem est*, Num. 30. v. 3. Deut. 23. v. 21. Psal. 76. v. 11. Et 116. v. 14. *Cum Creaturæ DEO junguntur, in materiâ voti, non voto ipso fit. Potest tàm de liberâ*, Deut. c. l. *Quàm necessariâ re esse*, Gen. 28. v. 21. Psal. 119. v. 106. Job. 31. v. 1. Et generale ac speciale, *Morale & Ceremoniale, absolutum & conditionatum esse potest.* Oppositum Orationis profanatio DEI, *blasphemia, execratio, & tentatio est, quæ profanatio DEI perfectionis alicujus divinæ experimentum illicitè quærendo facta est.* Psal. 95. v. 9. *Vt potentiæ divinæ*, Psal. 78. v. 18. 19. *Scientiæ*, Psal. 49. v. 7. Actor. 5. v. 9. *Sic cum per ferrum candens, aquam ferventem, duellum, adjurationes hominum aut brutorum, & similia innocentiam probare, aut aliquid velut DEI auxilio explorare volumus.*

CAPUT III.

De virtute in proximum directâ.

VIrtus in proximum directa *Caritas, & generali sensu etiam* justitia dicitur, Virtus Spiritualis, ad debitum officium proximo præstandum inclinans & perficiens, Ephes. 6. v. 1. Col. 4. v. 1. Tit. 2. v. 12. *Totam secundam tabulam comprehendit, & per omnia ejus præcepta se fundit.* Matth. 22. v. 29. Marc. 12. v. 31. Rom. 13. v. 8. seq. *Et proximus est, quisquis occurrit, ut cum eo versandum sit*, Luc. 10. v. 36. *Cui auxilium debemus, ne tamen nobis ipsis sit damnum*, 2. Cor. 8. v. 13. Et

ut gradus pro fundamentis & motivis amandi diversis serventur. Sic magis uxor, parentes, domestici, diligendi, quàm extranei, Matth. 19. v. 5. Ephes. 5. v. 25. seq. 1. Tim. 5. v. 8. *Magis in fide socii, quàm diversi*, Gal. 6. v. 10. Oppositum *ejus malevolentia, injusta discordia, odium, livor, factio, schisma, persecutio est.*

2. *Actus Caritatis in proximum est* precatio, Matth. 5. v. 44. *Cui imprecatio vel execratio opponitur, actus in malum proximi directus, qui ordinariè hodiè locum non habet*, Matt. 5. v. 11. 1. Petr. 3. v. 9. Extraordinariè *in objectorum & rerum, de quibus, personarum, in quibus, & in quas, modorum, sub quibus, Circumstantiarum, ex quibus, & finium, propter quos, respectibus licitus esse potest, Quomodo Prophetis in usu*, 2. Reg. 2. v. 24. Psal. 5. & 55. 56. 68. 69. 109. *Et Operatio in eum, Conatus ad bonum ejus tendens. Vt suasio, admonitio, Correctio, Exempli suppeditatio: Cujus Oppositum* scandalum est. *Operis mali repræsentatio, alium ad malum incitantis, aut à bono detinentis*, Matth 18. v. 6. 7. Rom. 14. v. 21. 1. Cor. 8. v. 9. seq. C. 10. v. 32. *Vbi scandalum infirmorum cavendum*, Matth. 18. Rom. 14. 1. Cor. 8. *Pharisæorum & impiorum negligendum est*, Matth. 15. v. 14. Actor. 5. v. 28. Gal. 2. v. 3. 4. *Similiter Realis effectio & procuratio boni alicujus actus aliquis in proximum est.*

3. *Iustitia generalis in proximum* aut immediatè *eum afficit, nullo alio actu aut qualitate intercurrente, Vt reverentia, humanitas, Mansvetudo, Concordia, Castitas, Iust. particularis, Aut* mediatè, *alio intercurrente, Vt Veracitas & sufficientia.* Reverentia est excellentiæ in alio congrua agnitio, ejusdem debitâ testificatione & conservatione juncta. *Quarto Præcepto jubetur, omnesq; Superiores*

com-

complectitur. Humanitas est *virtus Theologica ad vitam proximi ejusq́; tranquillitatem legitimis mediis conservandam inclinans & perficiens.* Quinto *Præcepto jubetur, & tàm de spirituali, quàm corporali vitâ intelligitur,* bellumq́; justum *à competentibus personis gestum illi non contrariatur, sed & in Novo Testam. permittitur,* Prov. 20. v. 18. Luc. 3. v. 14. Matth. 8. v. 8. 9. Actor. 10. v. 1. seq. Rom. 13. v. 4. *Sed seipsum occidere, nec in sese, nec à superiore jussum licet, Quamvis in fontico casu mortis periculo pro alio ex caritate se exponere liceat,* 1. Joh. 3. v. 16. Mansvetudo *est virtus Theol. ad medium in irascendo servandum inclinans, ut in irâ & vindictâ privatâ decenter nos geramus, non vitam proximi lædamus, aut tranquillitatẽ turbemus. Patientiã, longanimitatẽ, aliaq́; includit.* Concordia *Vir. Theol. ad vitã tranquillè cum altero in conversando ducendam inclinans, & agenda, omittenda, patienda eò facientia præscribens, omnia ad pacem, nihil ad offensionem agere assuefaciens. Eodem præcepto jubetur, omnes virtutes ad eam facientes complectitur, Et opposita vitia, discordiam, Contentiositatem, rixositatem, prohibet. Plurib.* in Ethicis. Castitas est virtus Theologica, *puritatem eorum, quæ ad vim generativam pertinent, conservans & eò perficiens, ne puritas proximi violetur.* Sexto Præcepto *mandatur, omnesq́; virtutes ad eam facientes, quales verecundia, honestas, pudicitia, gravitas, moderatio Carnis, comprehendit, & vitia illis opposita prohibet. Et nos respicit, C. 4. t. 2. Et quadam ratione etiam proximum. Quomodo hic traditur.*

4. Justitia particularis est virtus Theologica, suum cuiq́; in commodis externis, ubi legitimum dominium est, tribuens, & eò inclinans ac perficiens. *Huc justa acquisitio, occupatio, possessio, usurpatio, & similia pertinent.*

Omnes virtutes eò facientes, quales sedulitas, parsimonia, frugalitas, liberalitas, comprehendit, & vitia opposita prohibet. De quibus latiùs Ethica *præcipere debet. Paupertas in seipsâ bona non est, sed pœna, & afflictionis rationem habet,* Prov. 10. v. 15. C. 14. v. 20. C. 19. v. 4. 7. C. 30. v. 8. *Eoq́; spontè non eligenda, sed immittente DEO suscipienda, toleranda, & ubi licet, bonis modis avertenda est. Divitiæ autem variarum virtutum instrumenta & ornamenta legitimè utenti esse possunt. Vt liberalitatis, magnificentiæ, eleemosynæ, beneficentiæ.* Vt Dec. 3. Misc. d. 6. *pluribus dictum.*

5. Justitia mediatè proximum afficiens, *fide nempè vel operâ ad præcedens præceptum pertinente,* Veracitas & Contentatio est. Veracitas est virtus Theologica, ad veritatem in testimonio de re proximi dicendo observandam inclinans & perficiens, Psal 15. v. 2. Ephes. 4. v. 25. Octavo *præcepto præcipitur, & virtutes connexæ, fidelitas, candor, sinceritas, simùl intelliguntur, Opposita illis vitia, æquivocatio, dolus, astutia, fallacitas, mendacitas, elusio, illicita simulatio, prohibentur,* V. C. 2. t. 4. Contentatio est virtus Theologica, animum ad acquiescendum sorte à DEO datâ inclinans ac perficiens, & ab illicitâ alienorum concupiscentiâ abducens. Phil. 4. v. 11. 1. Tim. 6. v. 6. seq. Hebr. 13. v. 5. *Duobus distinctis præceptis, 9. & 10. Prohibetur, diversis vocibus etiam in Hebræo exprimitur, ut & Germani distinctè proferre possunt,* gelüsten / und begehren / *ut illud fomitem, hoc consensum notet,* Latinus *etiam appetere & concupiscere distinguere queat, distinctis paragraphis enuntiatur, distinctas species, originalem & actualem, parientem & prementem concupisc:* Jac. 1. v. 14. 15. *complectitur, nam & eam notat, quæ non ita omnibus cognita,*

cognita, Rom. 7. v. 7. *Quod de actuali & per opera se prodente concupiscentiâ dici non potest, quam peccatum esse palàm est. Et res ipsa ut latè fusa duobus præceptis explicari merita est.* Cognata ad *Contentationem omnia simùl involvit, ut Caritatem perfectam circa proximi bona, gaudium de prosperis, tristitiam de adversis ejus, studium primos motus reprimendi,* & Opposita vitia *prohibet, qualia inordinati motus, philautia inordinata, & bonorum alienorum inhiatus, Concupiscentia carnis, oculorum, superbiæ, Epichæirekakia s. gaudium de adversis aliorum, & similia sunt.*

CAPUT IV.

De Virtute in seipsum directâ.

VIrtus in seipsum directa est virtus Theologica, hominem pro seipso solitariè spectatum ad bonum opus dirigens & perficiens. Vt Sobrietas & Fortitudo. Sobrietas est virtus Theologica, puritatem proprii Corporis servare faciens, & eò inclinans. *Gustus & tactus voluptates fugere, necessariis in illis contentum esse, superflua rejicere, privationem voluptatis moderatè ferre, præsentiam ejus non ultra decorum desiderare docet.* Estq; frugalitas & castitas.

2. Frugalitas est virtus Theologica, gulam & alimentum moderans, ne nimium, aut indecorè sumatur aut appetatur. *In cibo abstinentia, in potu sobrietas dicitur. Quantitatem, qualitatem, modum alimentorum moderatur, & convivandi rationem attemperat.* Prov. 23. v. 20. Esai. 5. v. 12. seq. Luc. 14. v. 13. C. 16. v. 29. Castitas est virtus Theologica, Venerium appetitum in proprio corpore moderans, & ad puritatem in eo servandam inclinans

clinans ac perficiens, 1. Thess. 4. v. 4. *Abstinere actu, cogitato, gestu, dicto, habitu, motu impuro, facit, & metas ac moderamen præscribit.* Ex statibus vel *Virginalis, ut in Cœlibatu, qui bonus est, ubi liber & ejus, qui donum habet, & satis se probavit, est,* Matth. 19. v. 11. 12. 1. Cor. 7. v. 7. seq. *Non adactus, votis impositus, aut superstitione vel pravo fine electus, ut in Papatu*, Conf. C. 6. t. 4. Vel Conjugalis, 1. Cor. 7. v. 15. seq. Tit. 2. v. 5. Vel vidualis est, *quæ in statu viduo exercetur.* Oppositum Salacitas *ac libido est, cujus antidota hi versus exhibent:* Lectio, Mortificans, Oratio, lympha, labores, Portarum excubiæ, Christi præsentia, pœnæ.

3. Fortitudo est virtus Theologica, in adversis ac formidabilibus à DEO immissis suscipiendis & ferendis animum inclinans ac perficiens. *Hic viriliter spiritus virtute formidabilia aggredienda, pertexenda, ad finem deducenda, patienda, ac superanda sunt, Vt nec Stoico stupore præditi simus, nec pusillanimitate singulis casibus ingemiscamus aut succumbamus.* Vid. Sirac. 2. v. 1. seq. Ephes. 3. v. 16. C. 6. v. 10. seq. 1. Tim. 2. v. 1. 3. 10. 1. Petr. 4. v. 12. Hebr. 12. v. 1. seq. *Hæc in prosperis non superbire, in adversis non labascere nos facit, sed sustinendo, abstinendo, contrà nitendo, animum firmare docet.* Estq; togata & sagata. *Et contra subitaneum ac violentum invasorem in ipso invadendi puncto. Cum aliis mediis procedi simpliciter nequit, vitam defendere ac invasorem occidere permittit, Cum juris naturalis talis defensio sit, & ea tantùm, non autem ultio intendatur, ac furem nocturnum effringentem cum telo repertum in ipso actu occidere liceat,* Exod. 22. v. 2. Oppositum *ejus pusillanimitas,* Sirac. 38. v. 18. seq. 1. Thess. 4. v. 13. Et temeritas est,

tas est, Cum temerè nos periculis objicimus, Vt eum olim ad martyria spontè cucurrerunt nonnulli, qui non volentes eò duci debuerunt, Joh. 21. v. 18. *Plura* dec. 3. Misc. d. 5. *dicta.*

CAPUT V.

De Cavendis Theologicis, peccato, ejusq; Consequentibus.

SIc praxis Theologica generalis *in agendo fuit: Sequitur ea,* quæ in cavendo est, *quod vitari ac aboleri, non occupari aut foveri debet.* Hoc peccatum *est,* inordinata illegalitas, voluntati DEI Naturæ lumine cognitæ aut Scripturâ revelatæ contraria, reatum iræ DEI ac pœnæ importans, 1. Joh. 3. v. 4. C. 5. v. 7. Deut. 27. v. 26. Ezeh. 18. v. 4. Gal. 3. v. 10. Positivum *quid* Theologicè *dicitur, quia realiter præter nudum cogitari in homine existit, variè eum incitat, movet, agitat, pellit, irritat, tenacissimè ei inhæret, totum hominem pervadit, corrumpit, ac materialis ratione semper in positivo aliquo hæret, dispositione, habitu, actu; variosq; pravos fructus in homine edit.* V. Dec 2. Miscell. d. 3. t. 15. Non Metaphysicè, *quasi realis essentia substantialis vel accidentalis sit, formaliter enim privativum quid & privatio boni inesse debiti est, integritatem enim privat, mortalitatem & destructionem hominis infert, & despectum existimationis circumfert, etsi Ethicè & Theologicè verbis actum notantibus passim describatur.* V. Gen. 6. v. 5. C. 8. v. 22. Rom. 7. v. 13. seq. C. 8. v. 7. Gal. 5. v. 20. seq. Hebr. 12. v. 1. Conf. c. l. *Materiale enim ejus, actus, dispositio, habitus, potentia, quæ semper implicat, positivum quid est.* Et sensu illegalitas *duo continet, privationem legalitatis vel legalis rectitudinis, & sic*

definitionem

definitionem peccati præstare potest. Voluntarium autem esse de definitione peccati non est, ut Pontificii, Photiniani, Arminiani, Anabaptistæ, *& similes volunt, Nam & quæ involuntariè à lege exerrant, peccata esse possunt.* Rom. 7. v. 15. 19. 20. Num. 15. v. 22. 2. Tim. 1. v. 13. *Et infantibus peccatum competit,* t. 4. *Quibus voluntarii ratio nondum satis competit.*

2. Causa peccati *Sathanas inducens, homo consentiens & exequens sunt.* Sap. 2. 2. Cor. 11. v. 3. *DEus nullo modo causa ejus, nec per se, nec per accidens, esse potest.* L. 1. C. 9. t. 2. *Divisio ejus varia est.* Est primum, & à primo ortum. Primum, *quod à primo homine in paradiso commissum, hodiè reatum omnibus successoribus imponit.* V. L. 1. C. 10. t. 3. A primo ortum, *quod ex primo originem sumens in reliquis hominibus ab Adamo ortis omnibus, excepto Christo, invenitur.* Rom. 5. v. 12. seq. Estq; Originale & actuale. Originale, *quod à primo Conceptionis & nativitatis momento hominis Naturæ connascitur, Iustitiæ originalis carentiam, malitiæ pronitatem ac impetum, & divinæ iræ ac pœnæ reatum æternum inducit.* Job. 14. v. 4. Psal. 51. v. 7. Gen. 6. & 8. V. t. 1. Ephes. 2. v. 3. Rom. 5. v. 14. C. 6. v 23. Matth. 7. v. 17. Joh. 3. v. 6. Jac. 1. v. 14. 15.

3. *Culpa hæreditaria hoc peccatum, non pœna est, eoq; inter pœnas homini inflictas non numeratur,* Gen. 3. v. 16. 17. *Et accidens in homine, non substantia Physica, Metaphysica, Logica, aut Theologica est, Vt* Flacius, *interdùm tamen satis congruè hic loquens,* Spangenberg, Fraxineus, aliiq; *volunt: Nam hæc Creatura est, peccatum autem non creatum, sed introductum quid est: Et secùs etiam Christus peccati capax, nam substantiam humanam assumpsit,* Hebr. 2. v. 14. *Quod non.* Hebr. 4. v. 15. C. 7. v. 26. Dan. 9. v. 24. *Ac*

mediante

mediante animâ ac parentibus in sobolem transfunditur, etsi in animæ propagatione singularis & specialiter inexplicabilis DEI operatio concurrat, ob quam notanter DEUS Spiritum hominis in homine formare dicitur, Eccl. 12. v. 7. Jerem. 38. v. 16. Zach. 12. v. 1. Vt pluribus Dec. 2. Misc. d. 3. & 4. *dictum. Totum etiam genus humanum pervadit, non Mariam, Iohan. Baptistam, aut Ieremiam excipit, Vt* Papi*stæ quidam volunt, Solus Christus inde exemptus est.* Rom. 5. v. 12. seq. Joh. 8. v. 46. 2. Cor. 5. v. 21. Hebr. 7. v. 26. *Falsò autem & brutis peccata ac virtutes* à Photinianis & Vorstianis *tribuuntur.* V. Dec. 3. Misc. d. 2. t. 5. Et *ex eo prava Concupiscentia, non naturalis & legitimus appetitus materialiter ex hominis naturâ resultans, sed interior ad malum pronitas ac propensio, ut perpetuus fomes & peccatorum variorum Causa exsurgit. Qui peccatum vocatur,* Rom. 6. v. 12. C. 7. v. 5. 7. seq. *Qui à lege prohibetur,* v. 23. *Malum operatur,* v. 15. 17. *Nos ad peccandum irritat,* v. 8. 11. 14. 15. *Sub eo vendit, miseros mortiq́ obnoxios reddit, occidit,* v. 10. 11. seq. *De cujus onere renatus quotidiè lamentatur,* v. 24. *Quiq́ & peccatum est, & ejus Causa per Consensum, actum, & delectationem hominis est,* Jac. 1. v. 14. 15. *Peccatum consummatum & ipso opere perfectum parit, & hoc ipsa Concupiscentia non est, sed ejus radix. Sed utrumq́ illegalitas, & sic peccatum esse potest, Velut arboris putridæ & fructus, & radix putrida sunt.* Matth. 12. v. 33. C. 7. v. 17. Luc. 6. v. 43. *Maleq́* Pontificiis *hoc negatur.*

4. Actuale est actus ac motus inordinatus à lege exorbitans, reatum iræ ac pœnæ divinæ importans. *Comprehendit tàm actus ipsos vitiosos, quàm Circumstantias, modos, fines, principia illegitima. Infantibus competit, quà*

motus illegalis, non quà actus deliberatus & plenâ voluntate patratus est. Sic enim dextrum & sinistrum non agnoscunt, Deut. 1. v. 39 Jon. 4. v. 11. *Ex partibus* Omissionis, *quod omittendo à lege præceptum, Vt Sabbathum non sanctificare,* Et Commissionis est, *quod faciendo prohibitum consistit; Vt furari, adulterari: Ex speciebus* In legem, *quod legis Doctrinæ adversatur, Vt 10. præceptis,* Et Evangelium est, *quod hujus doctrinæ à legali distinctæ,* V. L. 1. C. 13. t. 6. *contrariatur, Vt peccatum in filium DEI, & Spiritum DEI,* Matth. 12. v. 32. Luc. 12. v. 10. *Vt anomia est, Ita ad legem spectat, à lege prohibetur, & generale omnis peccati participat,* ἄνομον *esse,* 1. Joh. 3. v. 4. *Vt in doctrinam Evangelii præcisè fertur, Evangelicum ex objecto, quod respicit, dicitur. Evangelium enim filium apertè revelat,* Joh. 3. v. 3. 36. *Quem lex obscurè adumbrat,* Gen. 3. & 49. Deut. 18. *Et gratiæ doctrinam propriè continet, quam qui protervè & ultimatè rejicit, Spiritum gratiæ rejicit, & peccatum in Sp. S. committere dicitur. Non in Veritatem legis, historiæ, Naturæ, committitur, sed solius Evangelii ejusq; gratiæ, Inde Evangelicum nominatur. Estq;* sufficienter agnitæ veritatis Evangelicæ voluntaria, malitiosa, præfracta, & finalis impugnatio ac blasphematio, *irremissibilitatem ut necessarium adjunctum comitem trahens.* Matth. 12. Marc. 3. Luc. 12. Hebr. 5. v. 4. C. 10. v. 29. 1. Joh. 5. v. 16. *Nec facto remittitur, & naturâ sui omnia convertendi media respuit, ac ad finem usq; peccando perdurat, eoq; à posteriori tantùm de homine judicatur.* Similiter *peccatum plenum & semiplenum, voluntarium, involuntarium, aut mixtum, regnans & non regnans, mortale & veniale, magnum & parvum, & simile est, gradus enim peccatorum sunt,* Gen. 18. v. 20. Esai. 3. v. 9.

3. v. 9. Ezech. 5. v. 6. C. 8. v. 15. Joh. 19. v. 11. *Vt & pœnarum*, L. 1. C. 21. t. 6. *Deniq; primæ & secundæ tabulæ Decalogi est.*

5. Consequentia peccati vel sunt generalia *ipsius peccati, ut reatus, macula, & pœna*, vel specialia, *in quibusdam subjectis, ut mortificatio ejus, & pœnitentia.* Reatus est jus & obligatio peccantis ad pœnam ob culpam ex justitiâ sustinendam, Lev. 5. v. 2. seq. Rom. 1. v. 32. C. 3. v. 19. *Hinc Conscientia mala justè accusans & condemnans, & horror ac fuga præsentiæ DEI sequitur*, Gen. 3. v. 8. Hebr. 2. v. 15. Macula est pollutio spiritualis, nitorem ac honorem peccatori tollens, vilitatem inferens, Matth. 15. v. 11. Apoc. 22. v. 11. *DEI detestatio & hominis Confusio hinc oritur.* *De Pœnâ t. 8. videbitur.*

6. Mortificatio est peccati, ne in homine dominetur, spiritualis inhibitio, Rom. 6. v. 6. seq. Gal. 5. v. 16. seq. Ephes. 4. v. 22. seq. Coloss. 3. v. 5. seq. Externa *tusio, flagellatio, maceratio, jejunatio, nondum est spiritualis mortificatio, nam in irregenitis, hypocritis, Baalitis, Pseudoprophetis, locum habet*, 1. Reg. 18. v. 28. *qui ad mentem Sp. S. carnem non mortificant, cum Spiritu & Christo careant*, Gal. 5. v. 24. *Sed vitii fuga, virtutis cura, temperantia, labor, patientia, à mundo & mundanis abstractio, ad Christum & spiritualia animi deductio*, Rom. 5. 6. 7. 8. Gal. 5. 6. 1. Thess. 4. 1. Petr. 1. v. 2. 3. 4. 5. 1. Joh. 2. 3. 4. *Et similia hic valebunt.* Conf. L. 1. C. 13. t. 8. *Iejunia externam pædagogiam præstant*, 1. Tim. 4. v. 8. *Impiis communia sunt*, Esa. 58. v. 5. Zach. 7. v. 5. Matth. 6. v. 16. *Ac tristi tempore ab Ecclesiâ imponi & servari possunt*, Joel. 1. v. 14. C. 2. v. 12. 15. 1. Sam. 31. v. 13. *Totam carnis mortificationem*

non perficiunt. Totus enim Vetus homo cum omnibus concupiscentiis & desideriis subigendus est, non solum Corpus, Rom. 6. Gal. 5. c. l. *Præcipuè anima hic corrigenda.*

7. Pœnitentia est seria peccatoris de admissis ex lege contritio, & de gratiâ DEI in Christo ex Evangelio lœta iterùm erectio. *Dicitur & reversio, resipiscentia, dolor, interdùm Conversio.* V. C. 15. L. 1. t. 2. *Sacramentum proprium eam non esse,* L. 1. C. 19. t. 5. *patet, etsi latè sic vocetur, quòd universales gratiæ promissiones singulariter sibi pœnitens applicet.* Partes ejus Contritio ex lege, & Erectio ex Evangelio sumpta *sunt. Quas si mortificationem & vivificationem voces, inter partes pœn. & hæ esse possunt.* Fides *accuratè dicta pars non est, pœnitentia enim actus est, fides autem virtus & habitus,* C. 2. t. 4. *Habitus autem pars actus esse non potest. Contritionem* Beza & Martyr *partem negant: Sed pœnitentium exempla omnia evincunt,* Gen. 2. 2. Sam. 12. Psal. 51. Luc. 7. Apoc. 2. Ac Aretius, Musculus, aliiq; *concedunt. Quæ secundùm Deum est, salutaris & vera pœnitentiæ pars est,* 2. Cor. 7. v. 9. 10. *Confessio oris & satisfactio operis, veteris hominis mortificatio, novi indutio, & renovatio propriè sumpta, Et bona opera, fructus pœnitentiâ digni,* Matth. 3. v. 8. Luc. 3. v. 8. Actor. 26. v. 20. *Consequentia ejus esse possunt, non partes. Facinorosis â Carnifice jugulandis negari cum* Photinianis, *Vt* Smalcio c. Franc. d. pœn. t. 15. Et f. 5. *non debet, nec infantibus cum* Aretio *adscribi, qui se suaq; per infirmitatem rationis discutere, eoq; conteri non possunt. Cum distantiam boni & mali non cognôrint.* V. t. 4.

8. *Sic & praxis Theologica* in Cavendo: In patiendo est, quâ sufferre, suscipere, pati, & tolerare nos ali-

qua decet, ac in illis solatio DEI quotidiè nos erigere. Mich. 7. v. 9. Sirac. 2. v. 1. seq. Matth. 10. v. 32. C. 16. v. 24. Marc. 8. v. 34. Luc. 9. v. 23. C. 14. v. 27. Actor. 5. v. 41. C. 14. v. 22. 2. Tim. 3. v. 12. *Talis est* pœna, *Crux, Miseria, Calamitas & afflictio, & mors.* Pœna est malum conditionis, malo exorbitationis ex justitiâ debitum. *In intelligentibus propriè est, in quibus & peccatum, t. 3. In brutis & inanimatis impropriè, ad majorem peccati ab intelligentibus commissi abominationem est,* Gen. 3. v. 17. C. 9. v. 5. Jos. 7. v. 24. 25. Exod. 21. v. 28. 29. Lev. 20. v. 15. Crux & calamitas est miseria à DEO immissa, vel ob puniendos injustos, vel castigandos pios. *Impiis pœna propriè dicta, fidelibus impropriè, & paterna DEI visitatio ac castigatio est, ut à patre in filios, non ultore in rejectos profecta.* V. Joh. 5. v. 24. Rom. 8. v. 35. seq. 2. Cor. 5. v. 1. seq. Mich. 7. v. 9. Hebr. 12. v. 5. seq. *Accersere autem aut sibiipsis miserias imponere, ut flagellationes, lacerationes, macerationes Corporis, pii non debent, sed à DEO impositas filialiter suscipere & tolerare. Media conterendi ac Mortificandi carnem assumere possunt, t. 7. Non calamitates.* Mors est privatio vitæ Physicæ, ex separatione animæ & Corporis inducta, Compositum Physicum formaliter destruens. *Piis in Christo transitus ad vitam,* Joh. 5. v. 21. *Impiis principium ad æternam mortem & cruciatus infernales existens. De eâ latè* Dec. 2. Mis. d. 10. *actum. Ejus Causæ Theologicæ Diaboli seducentis malitia, hominis delinquentis culpa & apostasia, & justa Dei ut judicis ac vindicis immittentis ira sunt.* Ratione *Causæ promerentis & inducentis est à Diabolo & homine,* Sap. 2. v. 24. Rom. 5. v. 12. *Ratione decernentis, punientis, & infligentis à DEO,* Sir. 11. v. 14. Deut. 32. v. 39. 1. Sam. 2. v. 6.

CAPUT VI.

De agendis specialibus, & primò Ministerialibus.

SIc agenda & cavenda generalia *fuerunt*: Praxis specialis est, quæ homini in certo statu competit, C.1.t.1. Hæc Ecclesiastica, Politica, & Oeconomica est. Ecclesiastica, quæ in statu Ecclesiastico, ubi specialiter DEO & Ecclesiæ ejus serviendum, perficienda est, *Vt in Ministerio, quod* Officium publicum idoneo Viro DEI vocatione impositum est, *ad Verbum DEI ritè docendum, Sacramenta administranda, & similia munia in bonum Ecclesiæ expedienda. Vnde Prædicantes, Ministri Verbi, DEI Cooperatores & Oeconomi*, Matth. 4.v.17.23. C.10.v.7. 1.Cor.3.v.9.10. C.4.v.1. *similiterq; in Sacris* vocantur.

2. *Praxis hæc* quædam ad Constitutionem, alia ad executionem, alia ad adjuncta & opposita requirit, Constitutio *ejus à DEO mittente*, Matth.9.v.38. 1.Cor. 12.v.28. *Et Ecclesiâ vocante est. Vocatio hic necessaria est, si ipse vocans haberi potest*, Joh.3.v.27. Rom.10.v.15. Hebr.5.v.4. *Et reprehensi currentes, non missi*, Jerem. 23.v.21. C.27.v.9 14. 15. *Qui fures, latrones, mercenarii, dicuntur*, Joh.10.v.8. seq. *Ac perpetuus hic Ecclesiæ V.& N.T. mos fuit*, Luc.3.v.2. Actor.14. Tit.1. *Vt malè eam* Photiniani, Anabaptistæ, Arminiani, & Fanatici *negent.* Estq; vel immediata *à solo* DEO, *ut Moses*, Exod.3.v.10. *Paulus*, Gal.1.v.1. *Quæ hodiè post Ecclesiam satis constitutam non exspectanda*: Vel mediata, *per homines, Vt Aaron per Mosen*, Exod.4.v.15. *Titus per Paulum*, Tit.1.v.5. *Hæc nec solis Ecclesiasticis, Papæ, Episco-*

pis, alliganda, ut in Papatu fit, nec solis Politicis aut Magistratui adscribenda, ut Pseudopolitici & Arminiani *solent, sed toti Ecclesiæ committenda, Hujus enim Ministri Prædicatores sunt, & consequenter jus suum ab eâ habere debent, Vt & olim fuit,* V. Actor. *1.* v. 15. seq. C. 6. v. 13. seq. *Et huic etiam potestas Clavium data, quam per certos deputatos exserit, & sic etiam Vocationem quibusdam committere potest, ut per eos totius Ecclesiæ nomine expediatur, Prout jura patronatus, dotationes, immunitates, & similia variare possint.* Sortibus *autem, ubi consilio & ratione res transigi potest, committenda non est, ut nec indignis, prætermissis dignioribus, imponenda est, si Conscientiæ ratio satis habeatur.*

3. *Vocationi succedit* Ordinatio, publica Ecclesiæ testificatio & commendatio, idoneæ personæ data. *Non est cum vocatione paris necessitatis, sed pro testimonio & ordine adhibetur. Valida est ab hæreticis collata, si substantialia Symboli Apostolici puncta apud eos retineantur, non, si evertantur. Ad executionem Ministerii forma & officium requiritur.* Forma Ministerii interna *in potestate à Christo concessâ consistit,* Joh. 10. v. 21. 1 Cor. 4. v. 1. 2. 2. Cor. 10. v. 8. *Et Minister ut homo, nihil agit,* 1. Cor. 3. v. 7. *Vt Minister, DEI Cooperarius est, & aliquid, sed alterius virtute, DEI, agit, qui per Ministerium efficax est,* V. 9. 10. 1. Cor. 4 v. 1. Externa *in variis gradibus & ordinibus diversis esse potest, quos inter eos esse,* Exod. 28. Lev. 21. 1. Cor. 12. & 14. Ephes. 4. *& alibi patet, maleq; ab* Anabaptistis, Fanaticis, Bezâ, *aliisq; negatur. Sed non potestate internâ & essentiali ob id differunt, in quâ omnes Ministri pares sunt: Nec Episcopus jure Divino superior Presbytero inde est, Vt* Papistæ, *non enim id ex sacris ostendi potest.*

Vbi

Vbi promiscuè sumuntur, Actor. 20. v. 28. Phil. 1. v. 1. 1. Tim. 1. v. 1. 2. Tit. 1. v. 5. 6. *Et alibi*.

4. Officium ministerii primarium est, *Verbum prædicare*, & *Sacramenta administrare*, Matth. 28. Marc. 16. *Nec per alium semper hic docendum*, *Vt* Papa *facit*, *sed interdum & per seipsum*, *Vt Apostoli & Christus fecerunt*: *Et quandoque pericopæ Evangelicæ proponi possunt*, *non cum rigidioribus* Reform. *eæ abolendæ*, *de quo* Pezelius præf. Posti. Melanch. *consentit*: Secundarium *orare*, *mores gubernare*, *pauperes curare*, & *similia*. *In utroque qui ritè procedendum*, *apud Scriptores Methodi Theologicæ & Rhetoricæ Ecclesiasticæ videri potest*. V. L. 1. C. 1. Adjunctum ejus *salarium*, *immunitas*, & *Conjugium Ministrorum est*. *Salarium est stipendii pro munio exsolutio*, & *licitè sumitur*, Matth. 10. v. 10. Luc. 10. v. 7. 1. Cor. 9. v. 7. seq. *Malèque* Waldenses & Anabaptistæ *negant*, *nec manuum labore*, *Medicinâ*, *aut mendicando minister victum quærat*, *sic enim officii cura postponitur*. Immunitas *est ministerii ab oneribus civilibus exemptio*, *benevolentiâ pii Magistratus facta*, *non præcisè jure divinô*, Gen. 47. v. 22. seq. Esdr. 7. v. 24. *Sed ab obedientiâ Magistratus in civilibus non eximitur*, *cui omnis anima subjicitur*, Rom. 13. v. 1. seq. 1. Reg. 2. v. 26. *Et magistratus ovis pastorum in spiritualibus est*, *non civilibus*, *hic enim iste pastor*, & *minister ovis est*. Conjugium *est licita & libera ejus à ministro usurpatio*, *non ad illud necessaria adactio*. *Vt* Vigilantius *olim*, *Vel ab eo exclusio*, *Vt in* Papatu. 1. Cor. 7. v. 2. seq. C. 9. v. 5. 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 1. v. 6. *Honorabile enim Conjugium in omnibus est*, *qui lege DEI aut casu inevitabili*, *vel singulari vocatione non eximuntur*. Hebr. 13. v. 4. Cœlibatus *autem & Monachatus*, *si licitè*, *liberè*, *sine superstitione*

perstitione & voto servetur, ab illis, qui satis se probârunt, indifferens est. Sed ut in Papatu *est, licitus esse non potest, de quo &* Papistæ *quidam interdùm questi. Votum enim Cœlibatus* ἄγραφον & ἀντίγραφον *est, nec laqueus per id hominibus injici debet,* 1. Cor. 10. v. 35. Conf. C. 4. t. 2.

5. Opposita Ministerii *illicita Ecclesiasticæ functionis fuga, cum talentum defoditur,* Matth. 25. v. 25. *Varii errores & hæreses de eo, vita Clericorum impura, officij neglectus, clavium abusus, malitiosa officii abdicatio, aut injuriosa ministrorum depositio, persecutio, repulsio à Tyrannis occupata, & similia sunt.*

CAPUT VII.

De agendis Politicis & Magistratu Civili.

F*Vit praxis* Ecclesiastica: Politica est, quæ in statu Politico obeunda, ubi partes gubernantis & parentis competenter & conscientiosè expediendæ sunt. *Gubernans Magistratus, parens subditus dicitur.* Magistratus est potestas à DEO ordinata, gladio in salutem bonorum, pœnam malorum armata, *ad tranquillitatem hominum & Reipublicæ salutem servandam ritè instituta. Licitè eum à Christiano geri posse* Obedientia *subditis mandata,* Rom. 13. v. 1. seq. *Origo ejus divina,* Dan. 2. v. 21. Sap. 6. v. 3. Joh 19. v. 11. *Unde Magistratus judicium* DEI *judicium est,* Deut 1. v. 17. 2. Chron. 19. v. 6. *Et utilitas ejus,* Rom. 13. *docent. Humana ordinatio dicitur,* 1. Petr. 2. v. 13. *Secundæ Causæ ratione, quia hominis ministerio constituitur, ab homine administratur, & in hominum salutem ut finem cui, exercetur. Nec libertati repugnat, ordini alicui subjici, Cum & angeli liberrimi, & tamen sub certo ordine.* V. Michael. t. 54. Et alibi Theologos.

2. *Praxis Magistratus* Vel *constitutionem ejus & causas, vel officium & adjuncta concernit.* Constitutionem Vocatio *facit, quæ vel immediata â* DEO, Exod. 3. v. 10. *Vel mediata per homines, Quæ vel electione,* Gen. 41. v. 41. Vel *successione,* 1. Reg. 11. 14. 15. *Vel justâ occupatione, ut bello fit,* Jos. 6. 8. seq. Sortibus *autem, ubi consilii copia est, committenda non est,* V. t. 3. C. 6.

3. Officium Magistratus *in agendis & cavendis consistit. Hæc vel circa religionem,* vel *Politiam versantur. Circa* religionem *Magistratus utriusq; tabulæ custos sit,* Deut. 17. v. 18. Jos. 1. v. 7. 2. Reg. 11. v. 12. *Veram religionem accuratè inquirat, introducat, foveat, servet, amplificet, nonnisi necessitate exigente diversas religiones toleret, non autem approbet, hæreticos, falsa docentes, aliosq; seducentes coërceat, expellat, non autem nisi seditiosos simùl, occidat, hoc enim â Christo interdictum,* Matth. 13. v. 30. *Et spiritui Christi ac religioni Christianæ, praxiq; Christianorum in N. T. illud conforme est,* Matth. 11. v. 29. 1. Cor. 5. v. 10. 11. 2 Cor. 10. v. 4. Tit. 3. v. 10. 1. Joh. 2. v. 10. 11. *Etsi in V. T. alia lex fuerit,* Deut. 13. v. 5. 20. *Et proindè etiam alia legis executio,* 1. Reg. 12. v. 40. 2. Reg. 10. v. 25. *Libros hæreticorum prudenter legi procuret, Scholas & templa erigat & servet, salaria laborantibus sufficientia constituat & augeat, Synodos convocet, ordinem inducat, collapsum restituat, leges promulget, Ecclesiastica bona legitimè dispenset, & Ecclesiæ commodis in omnibus prospiciat. Defectus in Papistis & excessus in Politicis hic cavendus.* Vt d. med. rel. t. 31. *dictum.* Conf. C. 6. t. 2.

4. *Circa* Politiam *fœdera, leges, & judicia obeunda sunt.* Fœdera *licita de rebus licitis cum bonis sunt ineunda, & inita*

& inita fideliter sancteq; servanda: Etiam cum hæreticis, infidelibus, sceleratis, necessitate jubente pacta: Cum malis non facilè ineunda, & inita, Ubi justè fieri potest, disrumpenda, nisi de non offendendo, aut seipsum tantùm defendendo, vel commerciis sint. Exod. 20. v. 7. 2. Chron. 19. v. 2. Hebr. 6. v. 16. Leges veteres honestæ & utiles retinendæ, inutiles abrogandæ, novæ non nisi necessitate jubente ferendæ, executio earum obeunda, & divinis, Naturæ, ac gentium legibus Magistratus ipse tenetur: Positivis, & quæ subditos concernunt, non quà coactionem, etsi quà directionem & honestatem. Ac in Conscientiâ istæ obligant mediatè, quà earum transgressio DEI ordinationi resistit, Rom. 13. v. 2. seq. Usuræ mordentes & exsugentes abolendæ, Exod. 22. v. 25. Lev. 25. v. 35. Sed legitimi usus aut mutuationes pecuniæ in certum pretium aut fructum, si lucreris eâ, etiam usuræ interdùm dictæ, ferendæ, Ubi si caritas moderamen tenuerit, nemo alterum mordebit, sed juvabit & promovebit.

5. Judicia Magistratui constituenda, & legitimè administranda sunt, ad acta & probata decidendum, nisi evidenter ex Conscientiâ ei contrarium constet, scelerati gladiô exterminandi, Gen. 9. v. 6. Rom. 13. v. 4. Maleq; Photiniani, Anabaptistæ, & Fanatici id negant, publico etiam & necessario bello in N T. Magistratus contra vim injustam pro justâ defensione uti potest, si aliis mediis justitia haberi non possit, Eccl. 3. v. 8. Luc. 3. v. 14. Matth. 8. v. 8. Actor. 10. v. 1. seq. Rom. 13. v. 4. 1. Petr. 2. v. 14. Et ubi mali privatâ pœnâ vindicari nequeunt, publicâ invadi possunt, quæ bellum. Maleq; Anabaptistæ, Erasmus, & Fanatici, id negant: Judæos non de novo recipere, sed jam inventos sub certis & necessariis cautionibus prudenter tolerare potest, ut non blaspe-

ment non usurarij mordentes sint, &c. Cingaros *aut errones, fures occultos, impostores, agyrtas, lupanaria notoria, leones, & similes non ferat, sed exigat & aboleat.* Adjuncta Magistratus *Virtutes spirituales & civiles, intellectuales & morales, aliaq; dona Corporis & fortunæ, relaxationes item ejus,* Opposita, *Anarchia, Confusio, Vitiosa administratio & mutatio sunt. Et hæc etiam inter* Cavenda Magistratus *esse, & specialiter observari possunt.*

6. Subditus *est homo potestati subjectus, ei quamvis duræ aut infideli honorem, in licitis obedientiam, preces, & tributum debens, & cum eo ordinem constituens.* Rom. 13. v. 1. seq. 1 Petr. 2. v. 13. Actor. 4. v. 18. 1. Tim. 2. v. 1. seq. *Sic Christus & prima Ecclesia Christiana Ethnicis Magistratibus subjecta fuit. Maleq; quidam* Pontificiorum *hic secus censent. Si imperii aliquid simul obtinet subditus, Vt Ephori, Optimates, Magistratum tyrannicum aut injustum invasorem deponere, aut in ordinem redigere possunt: Non, si merus subditus sit. Et satius Tyrannus exercitio fertur, quàm evertitur, Cum pejor* Nerone, Caligulâ, Heliogab: *esse nequeat, qui à Christianis tolerati, non deturbati, satiusq; hic in defectu, quàm excessu peccatur. Nec religio hic periculo exponitur, sed tantùm ob vitium Magistratus ei subjacere fertur. DEO autem precibus cætera committi Christiano possunt, qui nunquam Ecclesiam suam abdicabit.* Esai. 49. 50. Rom. 10. 11.

CAPUT VIII.

De agendis Oeconomicis & Conjugio.

SIc & praxis Politica *fuit*: Oeconomica est, quæ in statu & familiâ domesticâ obeunda, ubi partes imperantium & parentium in domo decenter expediendæ

pediendæ sunt. Status Oeconomicus est status à DEO ordinatus, *imperantibus certis officiis sibi devinctis in societate domesticâ constans, ob necessitatem & utilitatem hominum institutus.*

2. *Praxis ejus* Conjugalis, patria, & herilis est. Conjugalis, *quæ in Conjugio â conjugatis expedienda.* Conjugium est legitima & de jure indissolubilis unius maris & fœminæ in unam carnem conjunctio, recto consensu utriusq; ad procreationem, sublevationem, & libidinum post lapsum restinctionem decenter inita. *Sacramentum proprium non est,* L. 1. C. 19. t. 1. *Praxis Conjugalis in* contrahendo, contracto, & dissolvendo *Conjugio est. In* contrahendo *Conjunctio juri divino, Naturæ, & similibus analoga sit, non contraria. Hic consensus eorum, quorum interest, habendus, Vt parentum, tutorum, & similium, si ipsi haberi possunt, & sanæ mentis sunt: Nec de honestate tantùm, Vt* Papistæ, *sed & necessitate est, si ipsi parentes & tutores habeantur, & quæ decet, agere velint,* Exod. 22. v. 17. Num. 30. v. 6. *Quod exempla piorum V. T. docent,* Gen. 21. 24. 28. 29. 38. Judic. 14. 21. Jerem. 29. *Impii contra parentes conjugia inierunt, Vt Esau,* Gen. 28. v. 8. seq. *Et Consensus liber esse debet, vel persvasus, non extortus, aut dolo elicitus, aut vi adactus;* Estq; sponsalitius & nuptialis, *qui distincti apud Christianos, non permisti aut conjuncti de jure esse debent, nec sponsa statim de facto & usu uxor esse debet, Vt cum eâ concumbas, sed pacta, sperata, promissa, & de futuro, ut suo tempore eâ uti debeas. Sic filius jus ad hæreditatem habet, nondum de facto eâ vivo patre uti potest.*

3. Sponsalia sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum, *Causæ præparantes & disponentes inter eos,*

quibus

quibus licet, initæ, & suo tempore implendæ. Et ut conjunctio legitima sit, legi divinæ, naturali, & positivæ conformis sit. Itaq; non in gradibus vetitis ineunda, qui Lev. 18. & 20. *describuntur, Vbi non expressi tantùm, Vt* Papistæ, *sed & virtualiter subintellecti ac respondentes sunt advertendi, Generaliter enim Nemo ad propinquam carnis accedere jubetur,* Lev. 18. v. 6. *Et secùs nuptiæ inter nepotem & aviam, avum & proneptem, licitæ erunt, quia non expressè prohibitæ, quod absurdum. Nec* forenses *tantùm istæ leges, Iudæis latæ, sed morales sunt, edicti enim forma generalis est,* c.l. *Et ob violatas illas etiam gentes excisæ,* v. 24. seq. C. 20. v. 23. *Quod ob forenses non fieri solet.* Suntq; gradus isti vel ex parte viri, *Vbi mater, filia, noverca, privigna, soror, neptis, avia, amita, & similes,* Vel ex parte mulieris, *Vbi pater, filius, vitricus, privignus, frater, nepos, avus, avunculus, fratris aut sororis filius, & similes prohibentur. In* lineâ rectâ *ascendentes & descendentes in infinitum, in* collaterali *ad gradum primum, secundum, aut tertium vel ultrà interdùm prohibentur.*

4. *In Matrimonialibus Causis communiter* supputatio *graduum* Canonica *tenetur, Vbi â stipite Cognationis distantia maximè numeratur: In successionibus, hæreditatibus, tutelis, ac civilibus contractibus* Civilis supputatio *commodior esse potest.* Propinquitas spiritualis *in fide, aut Ceremonialis inter patrinum & levanum, aut legalis inter adoptantem & adoptatum, Conjugio non obest, etsi Civilia & Canonica jura cò interdùm procedant.* Remotiores etiam gradus *humanis legibus prohibiti attendi possunt, si congruâ ratione nitantur, ob civilem honestatem & obedientiam Magistratui debitam. Religionis etiam diversitas in contrahendo matrimonio*

considerari

considerari potest, Nec facilè cum hæreticis communicandum, 2. Joh. v. 10. *Sed in domino nubendum*, 1. Cor. 7. v. 39. *Sed legitimè contractum Conjug. dissolvere non debet*, v. 12. 13.

5. *Praxis Conjugalis in Conjugio* contracto *est in officiis conjugum communibus & specialibus.* Communibus, *Vt piè in DEVM, castè in sese, concorditer inter sese, humaniter erga alios, & accuratè erga liberos vivant.* Specialibus, *Vt vir diligat, foveat, regat, defendat uxorem, Vxor virum amet, vereatur, domum, liberos, servos, accuratè educet, ac domus commodo ubicunq; invigilet.* Praxis in dissolvendo *est in illis, quæ ad dirimendum illud observanda. Vt* divortium, *Vinculi Conjugalis solutio, & mariti ac uxoris separatio, legitimis causis inducta. Quales adulterium, fornicatio,* Matth. 5. v. 32. C. 19. v. 9. *Vbi exceptivè ac exclusivè, non comparativè, Christum loqui, & loquendi forma, Contextus totus, scopus, Circumstantiæ, quæstionis occasio, & ad eam responsio, docent. De totâ enim repudii lege Pharisæi quærebant, quæ & vim adulterum dimittendi, & alium superducendi comprehendit, & de eâ Christus respondit. Quod & legi convenit,* Deut. 24. v. 1. *Secùs ac* Pontificii *volunt:* Et malitiosa desertio sunt, 1. Cor. 7. v. 15. Adulterium *formam Conjugij, Conjunctionem in unâ carne,* desertio *fidelitatem tollit. Et divortium non thori saltem, sed vinculi est solutio, Canonisticè saltem ad prius restringitur. Ex se & naturâ sui Conjugium indissolubilis est Conjunctio, non nisi morte solvenda: Ex accidente & malitiâ hominum casibus quibusdam dissolvi potest.* In V. T. *Iudæis repudium & aliis de causis concessum erat,* Deut. c. 1. *Non ut res in se licita, sed ob duritiem eorum, Cum ab initio non sic fuerit.* Esa. 48. v. 4. Malach. 2. v. 14. seq. Matth. 19. v. 8. *De Cœlibatu* C. 6. t. 4.

fuit.

fuit. Polygamiam *in Sanctis V. T. DEVS toleravit, non probavit aut dispensavit, etsi legitimum tale Conjugium pro isto statu, more, & tempore, habitum fuerit.*

6. Praxis patria *est, quæ in societate paternâ in statu domestico inter parentes & liberos expedienda. Hic officia parentum & liberorum conjunctim & divisim spectanda.* Praxis herilis est; *quæ in societate herili inter herum & servum expedienda. Hic officia heri & heræ, servi & servæ percensenda, de quibus Scriptores* Oeconomici *videantur.*

CAPUT IX.

De praxi Theologicâ in Historiâ, & primò Veteris Testamenti.

SIc praxis Theologica in genere & ideâ, *tàm Communis, quàm specialis fuit: Sequitur* in exemplo & Historiâ, *Vbi praxis ista in exemplis per Historiam Ecclesiæ veræ & falsæ, bonæ & malæ, V. & N. Testamenti spectatur. Hæc* Theologiam Historicam *faciet, quæ* pars habitus Theologiæ est, historiam Ecclesiæ ab initio ad finem usq; mundi adæquatè & distinctè per continuatam temporum seriem *ad prudentiam Ecclesiasticam* repræsentans.

2. *Praxis Historica* Ecclesiæ veræ & falsæ, Veteris & N. Testam. est. Veræ *ante lapsum in Adamo & Evâ, qui radix & principium Ecclesiæ fuerunt, Vbi lex, Verbum traditū, nominum impositio, observantia, Sacrificia Eucharistica, Colloquiū cum serpente fuerunt,* Gen. 2. 3. Falsæ *in angelis apostatantibus & damnatis fuit,* 2. Petr. 2. v. 4. Judæ v. 6. *Et hominib: in lapsu: Post lapsum* antediluviana *sub Adamo, Setho, Enoso, Kenano, aliisq́, usq́ ad Noachi annum ætatis* 600. Gen.

7. v. 6.

7.v.6. fuit, per annos 1656. Quo diluvium venit: Falsa *sub Caino, Vnde Cainismus, Lamecho, & sequacibus fuit.* Patriarchas *versu sic comprehendas:* Adam, Seth, Enos, Kenan, Mahalale, Jaredq;, Enoch, Mathusalem, Lamechus, postq; Noachus. *Gesta ejus* Gen. 3. 4. 5. 6. 7. *continentur.* Postdiluviana *ante exitum Israëlitarum ex Ægypto sub Noacho, Semo, Arphaxad, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, & Iosepho usq; ad Mosen est, per annos 857. Patriarchas versu sic efferas:* Noachus, Semus, Arphaxad, Sala, & Eberus, Pelegus, Regu, Serug, Nahor, Tharaaq;, Abraham, & Jsaac, Jacob, Levi, Caath, & Amram, & tribus bis sex Ægypti ad tempora Mosis. *Gesta ejus* Gen. 8. seq. Exod. 1. 2. 3. *continentur.* Falsa Ecclesia *sub Chamo, Vnde* Chamismus, *impius DEI cultus ortus, Nimrodo, Ismaële, Esauo, impiis Ægyptiis, Oraculis Sathanicis, Sibyllis, aliisq; viguit. Gesta ejus* c. l. *Vide.*

3. Post exitum ex Ægypto *vera Ecclesia sub Mose, Iosuâ, & cœteris Ducibus usq; ad primum Regem Saul per* 426. *annos viguit.* Duces *sic efferas:* Moses, Josua, & Othoniel, Ehudq;, Debora, Gideon, Abimelech, Thola, & post Jephtahus, Ebzan, Elon, post Abdon, Simson, Eli, Samuelq;. *Gesta ejus in* Exodo, Levitico, Josuà, Judicum & 1. Samuelis libro *usq; ad* c. 8. *narrantur.* A primo Rege Saul per Reges Juda & Israël *usq; ad Zedekiam & Captivitatem Babylonicam per an.* 476. *aut circiter Ecclesia duravit. Gesta ejus* libri Samuelis, Regum, Chronicorum, & similes *narrant.* Reges *Iuda sic efferas:* Saul, David, Salomon, post hos est scissio facta, Roboam, & Abias, tunc Assa, Josopha, Joram, Ahasias, Athalia, Joas, Amazia, Azaria, Jotham,

 & Achas,

& Achas, Ezechias, Manasses, & Ammon. Josias, Joachas, Jojakim, Joachin, Zedekias. *In Captivitate Babylonicâ Ecclesia per 70. annos*, Jerem. 25. v. 11. 12. *Partìm Hierosolymis, partìm Babylone in variâ pressurâ mansit, & historia* Esther *hoc tempore facta putatur, sub Ahassvero, Darii Medi Patre*, Dan. 9. v. 1. *Etsi alii aliter velint.* V. d. Ahasv. Esther. t. 23. *Gesta ejus* Esdras, Nehemias, Esther, Jeremias, Daniel, & Ezechiel, *recensent.*

4. Falsa Ecclesia *per hoc tempus per Iannem, Iambrem, Core, Dathan, Abiram, & impium populum Deo rebellantem, Mosi obmurmurantem, Bileam, vanos idololatras, filios Eli, impios Reges, ut Saulem, Achab, Ahasiam, Ierobeam, qui primus aureos vitulos in idololatriam Israëlis exposuit, & Samaritanismum invexit*, 1. Reg. 12. v. 28. *Baalitas & falsos Prophetas, ut Ahab, Zedekia, Semaia, Hanania, ac rebellem populum*, Jerem. 43. 44. Ezech. 8. 14. *continuata, varia idola, ut Baalim, Astaroth, Moloch, Rimmon, Melechet, excitata & culta, Ethnica Idololatria furiosè succrevit, ut Hesiodus suo tempore 30000. Deorum numerârit. Præcipui Dii Romanorum 12. sunt:* Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iovis, Neptun, Vulcanus, Apollo. *Gesta ejus ex libris* Samuelis, Regum, Chronicorum, *variisq́; Prophetis sunt sumenda.* Præcipuæ falsæ sectæ *post diluvium fuerunt* Chamismus, Chaldaismus, Gentilismus, Ægyptismus, Scytismus, Græcismus, Latinismus, Judaismus, & Samaritismus. *De quibus* Vossius L. d. idololatr. Juven. sat. 15. Bocatius, aliiq́; *videantur.*

5. Post Captivitatem solutam *ab anno I. Cyri usq́; ad natum Christum per Monarchiam 2. & 3. & Duces Iudaicos Hierosolymam*

Hierosolymam regentes, ut Serubabel, Iosua, & sequentes ad annos 460. *circiter ex* Daniele, Esdrâ, Nehemiâ, Haggai, Zachariâ, Maccabæis, *aliisq́; Ecclesia vera est deducenda. Templum & Vrbs reædificata, cultus restitutus, regimen per duces & summos Pontifices administratum, puritas per Prophetas & utrumq́; Siracidem reducta & servata, status per Maccabæos aliosq́; heroas contra tyrannos defensus, & similia acta. Donec tandem Ducibus Judaicis occisis Herodes Ascalonita vel Idumæus peregrinus sceptrum peregrinum, Romani nominis & potestatis, in Iudæâ gessit, & tempus Messiæ exhibendi appropinquavit,* Gen. 49. v. 10. *Ac Messias ipse se exhibuit. Gesta ejus ex* cit. libris, & Malachiâ, Maccabæis, & Siracide, *ut &* Josepho, *sunt desumenda.*

6. Falsa Ecclesia *tùm per Pseudoprophetas, Impios Reges, Duces, & populos continuata, impietas ac idololatria provecta fuit, inprimis* Antiochus Epiphanes *horrendas idololatrias magnâ vi & tyrannide invexit, ingenti strage veram Ecclesiam concussit, juge Sacrificium abstulit, & abominationem desolationis in arâ collocavit, post horrendâ morte ipse consumptus,* 2. Maccab. 5. 6. 7. seq. *Variæ hæreses & sectæ hic ortæ, præter Samaritanos, c. 4.* Pharisæi, *& hi in varias sectas, Perfectistas, Sichemitas, Impingentes, Mortarios, Amoristas, & similes discissi, Sadducæi, Esseni, Hemerobaptistæ, Nasachæi, Herodiani, aliiq́; floruerunt, Ecclesiam* DEI *semper turbantes & discerpentes, ut* cum Civitate DEI perpetuò simùl succreverit Civitas Diaboli.

CAPUT X.

De Historiâ novi Testamenti.

PRaxis historica Novi Testam. est, quæ historiam gestorum veræ & falsæ Ecclesiæ à Christo nato

usq; ad finem Mundi ordine per secula sibi succedentia repræsentat. *Estq́;* Ecclesiæ institutæ, continuatæ, destitutæ, & restitutæ. Institutæ, *quando à Christo & Apostolis Ecclesia per prædicationem Evangelij primis* 100. *à nato Christo annis plantata est. Hic nativitas Iohannis baptistæ, Christi præcursoris, & nativitas, educatio, vita, ac ad officium accessus Christi, variaq́; ejus in ministerio opera, Conciones, peregrinationes, miracula per 4. annos gesta notanda, usq́; dum ultimum Pascha cum Discipulis comedit, ac eadem nocte proditur, capitur, ad Sacerdotem & prætorem deducitur, damnatur, & postero die in crucem inter latrones medius agitur, post à Iosepho & Nicodemo honorificè sepelitur, & ad tertium diem quiescit. Tertio die summo mane clauso sepulcro resurgit, varijs apparitionibus se vivum exhibet, 40. die visibiliter in cœlum ascendit, & 50. die Sp. S. in discipulos suos cumulatè effundit, quo instructi illi ad Apostolatum totius Orbis idonei redditi magnâ vi ac successu prædicationem Christi in Judæâ & per totum Orbem circumtulerunt. De quo* Natalitia, Passionalia, Paschalia, & Pentecostalia *videnda.*

2. *Petrus Iudæis inprimis*, Actor. 2. 3. Gal. 2. v. 7. Andreas *per Cappadociam, Galatiam, Bythyniam*, Johannes *per Asiam. Cæteri per alias terras Evangelium prædicârunt, Vt in toto Orbe illud fructificaverit.* Rom. 1. v. 8. Col. 1. v. 6. *Anno Christi* 51. *primum Concilium Hierosolymis habitum, & onus Ceremonialis legis abrogatum,* Actor. 15. *Anno* 100. *mirè crevit* Ecclesia, *fana, aræ, & Oracula gentilium conciderunt.* In falsâ Ecclesiâ *hoc seculo hæreses & errores nati ac foti, Pharisæismus, Sadducæismus, Iustitiarij, Nicolaitæ,* Apoc. 2. v. 6. Apollonius Thyanæus *Magus, quem Christo nostro gentiles opposuerunt, Simon & Simoniani,* Actor. 8. v. 18. seq.

Ebionitæ,

Ebionitæ, Cerinthiani, Pseudo Apostoli, Hymenæus, Phigellus, Philetus, Hermogenes, Diotrephes, Menandriani. Impia politia Iudaica anno 72. funditus eversa, Vrbs Hierusalem incensa, & per Titum Vespasianum desolata, 1100000. Iudæi in obsidione periisse feruntur, Et 70. hebdomades Danielis hic desinunt, ut probabiliùs sentitur.

3. Continuatæ est, quando instituta in puritate doctrinæ 2.3.4.&5. seculo permansit. Hic pij Episcopi & Doctores fuerunt, In 2. seculo Polycarpus, Ignatius, Justinus Martyres, Hermes, Irenæus, Athenagoras, Papias, Quadratus, Aristides, & similes. Persecutiones variæ & nominatim 12. sub Imperat. gentilibus, Nerone, Domitiano, Trajano, Antoninis, Severo, Decio, Valeriano, Diocletiano, & Maximiano hic in Christianos excitatæ. In tertio seculo ab anno 200. usq; 300. Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Gregorius NeoCæsariensis. In 4. Athanasius, Hilarius, Optatus Milevitanus, Basilius, Nazianzenus, Concilium Nicænum primum etiam ab Episcopis 318. Anno 325, 326. habitum, & Arij dogma rejectum fuit. In 5. usq; ad annum 500. Hieronymus, Augustinus, Prudentius, Theodoretus, Leo, Cyrillus, aliiq; floruerunt. Alia etiam Concilia, Vt Constantinopolitanum I. anno 381. Ephesinum anno 435. Chalcedonense anno 51. habita. In falsâ Ecclesiâ hæreses & hæretici varij his seculis orti, Ecclesiam turbantes, Helcesaitæ, Novatiani, Cathari, Sabelliani, Æternales, Chiliastæ, Manichæi, Seleuciani, Apollinaristæ, Antropomorphitæ, aliiq;. Primatus etiam Papæ hic affectatus & quæsitus, nondum tamen plenè impetratus est.

4. Destitutæ est, quæ ab anno 500. usq; ad 1500. obtinuit, ubi copiosiùs & manifestiùs sinceritas doctrinæ corrupta,

errores

errores & superstitiones invecti fuerunt. Hic anno 555. à Pelagio Papâ *doctum, primatum Ecclesiæ Romanæ ab ipso Christo provenisse, & AntiChristianismo lata porta aperta est.* Vera Ecclesia *Doctores tamen habuit, per quos servata. Quales* Primasius, Eugenius, Junilius, Sedulius, Maximus Taurinensis, Gregorius M. *Vincentius Lerinensis, Beda, Damascenus, Fulgentius, Alcuinus, Rabanus, Theophilactus, Bernhardus, Nicolaus de Clemangiis, Oecumenius, Bernh. Morlanensis, aliiq́.* Concilia *etiam quædam hic celebrata, Vt Constantinopolitanum II. anno* 550. *Et III. anno* 681. *Nicenum II. Sardicense, Milevitanum, Arausicanum, aliaq́.* In falsâ Eccesiâ *hæreses & superstitiones variæ enatæ, Agnoetæ, Pelagiani, Semipelagiani, Iacobitæ, Armeni, Monotheletæ, Nestoriani, Photiniani, Feliciani, pompæ circa templa, cultum externum, errores circa cultum imaginum, reliquiarum, panis Eucharistici, Crucis, festa, Cœnam, sepulturas, Campanas, & similia, orti & progagati, donec tandem* AntiChristianismus Occidentalis *in Papâ, ad annum* 606. & 666. *sub Bonifacio 3. & Successoribus, Vbi decreta Papalia loco Scripturæ recepta, varij Scholasticorum & Monachorum errores ac ordines successu seculorum exorti, Vt* Thomistæ, Occamistæ, Scotistæ, *Albertistæ, Summulistæ, Bernhardini, Carmelitæ, Franciscani, Dominicani, Augustiniani, & similes,* Et Orientalis in Turcâ *ad anno* 620. seq. *Duce Mahomete Impostore & tyranno introductus, qui* Alcoranum *suum ex Iudaismo, Gentilismo, & corrupto Christianismo ope Sergij Monachi Nestoriani & Iudæorum quorundam, ut putatur, consarcinavit, Varijs ridiculis, stolidis, & blasphemis commentis infarcivit, & vi ac armis Orienti eum obtrusit, perq́ eum diffudit, ac successu temporis Turcica pote-*

stas

stas per Ottomannos validè succrevit, Vt & Constantinopolin Christianis anno 1453. *Mahometes I. Imp. eripuerit, & 12. regna sibi subjecerit, multaq; tyrannicè administrârit, quamvis Rhodum frustrà tentaverit.* Judæi *etiam Thalmud Babylonicum anno.* 1150. *condiderunt, quo varia blasphema ac absurda continentur & incrustantur.*

5. Restitutæ est, *quando ex erroribus & Superstitionibus eluctari, & pristinæ veritati ac cultui restitui cepit.* Hujus præparatio *sub Iohanne Husso & Hieronymo Pragensi Constantiæ anno* 1415. & 16. *ob veritatis constantem professionem combustis fuit, Post quæ Hussitica fides in Bohemiâ, Germaniâ, Angliâ, Galliâ, variè disseminata, & duce Ziscâ apertis bellis contra Papistas multo sangvine defensa est:* Completio *in annum* 1517. *incidit, Indulgentias Papales publicis thesibus* 31. *Octobris Wittebergæ in Saxoniâ impugnante, & ex Tezelij aliorumq; Indulgentiariorum impudentiâ occasionem sumente* Luthero, *reformationis Evangelicæ in Germaniâ primo authore, Etsi* Cinglio, Oecolampadio, & Wesselo Gröningensi *quidam jam anno* 1515. & 16. *simile quid tribuere velint, Quæ tamen non ita universalia, penetrantia, constantia, tantoq; successu, ac Lutheri, confirmata fuerunt: Et* Lutherus *in principio se solum fuisse scribit,* in C. 1. Gal. To. 2. Jenens. Ac Sleidanus *idem contestatur,* L.). *Ac Cinglius anno* 19. *Papatum oppugnasse dicitur, Vt* Philippus aliiq; *narrant: Vt &* Chamier *Cinglium aliosq; Lutheri intrepido animo exitatos fuisse fatetur* Tr. 2. Panst. L. 16. C.)5. t. 8. *Lutherus ab Eccio, Wimpinâ, Prierio, Hochstrato, oppugnatus masculè sua defendit. Anno* 19. *cum Eccio disputat, & successiivè totum Papatum oppugnat ac evertit. Anno* 22. *gravamina Germanica Romam mittuntur, Anno* 23. *Colloquium Tiguri,*

Anno

Anno 24. Ienæ, Anno 26. Badæ Helvetiorum, Anno 28. Bernæ, Anno 29. Marpurgi de rebus religionis habitum. Anno 30. Augustana Confessio publicè in Comitijs Augustanis prælecta, Exemplar susceptum, & in Archivis Imperii asservatum est. Conventus etiam de religione Smalcaldiæ, anno 31. ibidem, Vt & Francofurti ad Mœnum & Wismariæ, Anno 34. Colloquium Genevæ & Cadoæ, Anno 35. Cassellis & Smalcaldiæ conventus habiti. Anno 36. 37. inter Lutherum & Helvetios ac Suevos Concordia de Cœnâ tentata, ex parte Suevorum inita & sancita fuit. Sed Helvetij postea resilierunt, aut non satis transacta Buceri probare vel recipere voluerunt.

6. *Anno 37. iterùm Smalkaldiæ conventus, & Dania ac Norvegia Evangelium suscipiunt. Anno 41. Colloq. Wormatiense habetur. Anno 42.* Concilium Tridentinum *indicitur, variè & diuturno tempore prorogatur, anno 64. demùm finitur. Anno 46. Lutherus moritur. Anno 47. bellum religiosum inter Cæsarem Carolum V. & Saxonem Iohan. Fridericum, ac Philippum Hassorum Lantgravium oritur. Anno 48. liber Interimisticus promulgatur, formula credendi interim à Cæsare constituta, donec liberum Concilium celebraretur, de quo dictum,* das Buch *Interim,* tregt den Schalck hinter jhm. *Anno 49. Colloq. in Angliâ habitum. Anno 52. Passavica transactio inducitur, & Anno 55. repetitur ac confirmatur, quâ &* Reformati *se inclusos esse contendunt, de quo ab utraq; parte jam contenditur. Anno 53. 55. 56. 57. varij conventus de religione habiti. Anno 60. Phil. Melanchton moritur. Anno 61. Colloquium Possiacenum in Galliâ, 64. Maulbrunnense, 68. Altenburgense, in Germaniâ habitum. Anno 70. Synodus Sendomiriensis in Lithvaniâ, Anno 71. Colloq. Franckenthalense & Argentinense, Anno 71. 74.*

76. 77.

76. 77. varij conventus ab Augusto Electore Saxoniæ habiti, & Formula Concordiæ Anno 80. publicata, ac à Papistis & Reformatis variè oppugnata est. Vnde anno 82. Apologia ejus emittitur. Anno 77. Ieverense in Frisiâ, Anno 83. Quedlinburgense, 84. Heidelbergense, 86. Mompelgartense, 93. Neoburgense, 601. Ratisponense, 645. Thorunense Colloquium per 3. menses & ultrà, irrito successu habitum. Anno 618. 19. Synodus Dordracena in Belgio contra Arminianos habita, & Arminiani rejecti ac proscripti. Vnde varijs scriptis se defenderunt. Anno 1617. Iubileus seculi Lutherani, Anno 1630. Iubilæus Aug. Confessionis habitus. Anno 31. Saxonici, Brandeburgici, ac Hassiaci, Lipsiæ privatim colloqvuntur, varijsq; in punctis propiùs conveniunt. Cum Gustavo Sveciæ Rege pro Causâ Evangelicâ se conjungit Elect. Saxo ac Brandeburgicus, & Tillium ad Lipsiam profligant. Anno 1632. 6. Novembr. Gustavus obit. Anno 33. Francofurti ad Mœnum in templo Bartholomæitano Evangelicè prædicatur. Anno 35. Saxo cum Cæsare Pragæ paciscitur, sed religionis libertati non satis cavisse putatur. Vnde Evangelici in partes secedunt, & se mutuò infestare incipiunt. Anno 50. in Chinâ & provinciis regni ac Tartaricis publicè Evangelium prædicatum, & Regina baptismum suscepit. Variæ etiam Cathecheses & Confessiones sub his seculis editæ, Vt Augustana, Svevica, Basileensis, Helvetica, Saxonica, Gallica, Wirtembergica, Anglica, Catechesis Lutheri, Embdana, Bohemica, Palatina, Polonica, Genevensis, Argentinensis, Gedanensis, anno 1648. edita, & postea scriptis defensa.

7. In periodo hac Ecclesiæ etiam hæreses & Schismata varia, ac persecutiones passim viguerunt. Primò omnium Carolsta-

dius, Cinglius, Oecolampadius, *de Cœnâ dissidium contra* Lutherum *moverunt, quod per seculum & ultrà fotum partes Evangelicas in grave schisma discerpsit*, ut Reformati *dicti sint, qui Cinglium ac Calvinum secuti, Et* Lutherani, *qui Lutherum:* Philippus *etiam ad Calvini partes ultimâ ætate magis inclinasse* censetur, *Unde* Lutheranis *& inprimis* Ubiquetistis *rigidioribus prorsus suspectus factus est. Ex alterâ parte* Papistæ *validè scriptis ac armis Evangelicos oppugnârunt, vi & fraude in Germaniâ, Galliâ, Hispaniâ, Angliâ, Belgio, eos persecuti sunt. Bellum Belgicum ob rigiditatẽ Hispani anno 1560. inchoatũ, & ad hæc tempora ad Annum 1648. duravit, Ubi post diuturnas deliberationes tandem negotium compositum est, & Belgæ confœderati liberi populi in æternum ab Hispano declarati sunt.* Ab Anno 1618. *etiam Ferdinandus II. Imperator validè Evangelicos afflixit, eoq́; motus Bohemici & bellum Germanicum totam Germaniam absumens ortum est, Svecis, Gallis, Batavis, & Germanis pro religione contra Austriacos, Hispanos, Bavaros, Croatas, & socios pugnantibus, nec pugnandi finis fuit, nisi cum ad 6. ferè annos de pace Osnabrugi & Monasterij laboratum fuit, ut tandem pax certis conditionibus sancita Anno 1648. & 50. fuerit, Sed Silesiis, Austriis, Bohemis, Moravis, antiqua religionis libertas impetrari non potuit.* Anabaptistæ *eorumq́; variæ species, &* Svencfeldistæ, Photiniani, Weigeliani, Antinomi, Majoristæ, Osiandristæ, Methistæ, Stiefelistæ, Semijudaisantes, *vel Seidelistæ â Martino Seidelio Silesio, dicti*, RosæCruciani, Novi Prophetæ & Chiliastæ, *qualis* Nagelius, Zieglerus, Felgenhauver, Wernerus, Geigerus, Plaustrarius, Richardus, Gifftheil, aliiq;, *orti sunt & floruerunt.*

8. Schismata *etiam in variis religionibus, Ut Luthe-*

rismo, Flacianum, Interimisticum, Huberianum, Arndtianum, Calixtinum, Reformatismo, Salmuriense, Saravianum, Erastianum, Arminianum, Papismo Dominicanum & Franciscanum, de conceptione Mariæ, Thomisticum, Scotisticum, & Occamisticum, Dominicanum item & Minoriticum de sanguine Christi in cruce fuso, In Photinismo Socinianum, Davidisticum Crellianum, Arianum, In Anabaptismo variæ species, in Fanatismo variæ sectæ viguerunt. Jesuitarum Ordo Anno 1540. cepit, & Anno 43. confirmatus est, Unde in immensum numerum excrevit, & Collegia per totum Orbem sparsit, ac de palmâ eruditionis cum Universis Ordinibus & sectis religionum contendit, etsi multi de illis eorumq; conatibus conquerantur, ut Gallia sub Henrico IV. à quo etiam pulsi, sed post annum revocati, Veneti Anno 1606. qui in perpetuum eos expulerunt, Academia Cracoviensis, Alphon. Vargas relat. de Sophismatibus Jesuitarum, Hasenmullerus in hist. Jesuitarum, Gerhardus L. I. Conf. Cath. p. 903. seq. Multi etiam ipsos defendant, Ut Joh. Argentus, Ant. Possevinus, Fr. Bartsch resp. cont. Cramerum, Author AntiCotoni, Laur. Forerus, Creutz con. Gedanenses, aliiq;.

INDEX CAPITUM LIBRORUM horum.

LIBER I. De Credendis Theologicis.

LIBER II.

De agendis Theologicis.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.